



[Faint, illegible handwritten text in a cursive script, likely a title or inventory entry.]







EXOMOLOGESIS SIVE MO-
dus confitendi, per **Erasmum Rotrodami,**
opus nunc primum & natum & exo-
cusum, cum alijs lectu dignis,
quorum catalogum reper-
ies in proxima
pagella.



Basileæ apud Ioannem Froben. Anno
M. D. XXIII.
Cum privilegio Cæsareo.



IN HOC OPVSCVLO
CONTENTA.

1. **Exomologesis, siue modus confitendi.**
2. **Paraphrasis in tertium psalmum: Domine quid multiplicati.**
3. **Duo diplomata Papæ Adriani sexti cum responsionibus.**
4. **Epistola de morte.**
5. **Apologia ad Stunicæ conclusiones.**

ERASMVS ROTERODAMVS

R. P. Francisco Molinio Episcopo
Condomiensi S. D.



ilarius noster tuas perferens literas, ornatissime Præsul, rari cuiusdam candoris & beneuolentiæ singularis erga nos plenas, profecto plurimam attulit hilaritatem. Itaque quando tu dignatus es nobis significare, quid isthic rerum geras, mihi uicissim uisum est curare, ne nesciâs quid rerû nos hic agebamus, quum tua redderetur epistola. Horatius, quum ea meditaretur, quæ pertinerent ad bene uiuendû, ita scribit: *Condo & compono, quæ mox depromere possim.* Hoc carmen mihi iniustus usurparo, qui tum in his eram, quæ faciunt ad bene moriendum. Nam hæc est præcipua philosophiæ pars, maximeque seria. Id tamen per omnem uitam agendum est omnibus, tamen nescio quo pacto Phryges sumus plerique, nec ferè nisi plagis reddimur emendatiores. Renum dolor, quum aliàs sepe, tum mense Iulio proxime acto, me sic afflixit, ut serio fuerit de migrando cogitandum; uerû idem ad Iesu natalem me sic inuasit, ut desperata uita, mors fuerit etiam in uotis. Acerbus quidem & agrestis moni-

Argumentum ad Victorium Re:

Horatius Epistola lib. 1. p. 17.

Phryges, plagis, pensentur, pro, uerba, eos, huius, pudore, pro, moris, sed, uis, reddimus, melli, cetero.

ERASMI ROT. EPISTOLA.

tor est calculus, & ipsa quoque morte crudelior: sed tamen hoc illi debeo, uel per illum potius domino Iesu, quod nunc sedulo damus operam, ne mors nos opprimat imparatos, etiam si non dederit spatium Exomologesi, quam nunc ad te mittimus, uelut appendicem mearum ad te literarum. Quasi tuam epistolam bene persatam iudicabis, erit quur uehementer gaudeam. Nam animum istum scio me nullo unquam officio pensare posse. Eia Presul integerrime, sic interim nobis fruamur in domino, donec reddita temporum tranquillitas,

patiatur nos propius iungi. Bene

uale. Basileæ sexto Calend.


Mart. Anno à Christo

nato

M. D. XXIIII.

Exomologesis

EXOMOLOGESIS SIVE MOR-
dus confitendi, per Erasmum
Roterodamum.



RAETER innumera-
biles questionum labyrinthos, in quibus & olim sudarunt eruditi, de potestate clauium, de restitutione, de satisfactione, de indulgentijs: uideo nunc à multis in questione uocari, utrum hæc confessio peccatorum, qua nunc singuli quotannis aperimus conscientie uulnera sacerdoti, quam & sacramentalem uocant, sit instituta à Christo, sic ut per homines nullo pacto possit tolli: an à maioribus inducta, paulatim robur collegerit, ut tanta sit huius autoritas, quasi fuerit instituta à Christo, presertim quæ accesserit autoritas Romani Pontificis, & populi Christiani consensus. Tum si quis largiatur ab hominibus institutam, utrum conducibilius sit eam relinqui, propter innumeras utilitates, quas ex ea uidemus proficisci: an tolli, ob innumera mala, quæ confitentium & audientium culpa per huius occasionem comperimus existere. Nihil horum in hoc libello lector expectabis, uel quia

iam olim hæc diligenter tractata sunt à uiris doctissimis, uel quia non libet nunc rebus exulceratis eiusmodi uomicas mouere: neq; studio nunc est τὰ ἀκινυτὰ κινῆν, sed potius iuxta Platonis consiliū, καὶ ὡσαύτῃ ἐν τῷ δέῳ. Quantūuis enim multis ac magnis argumentis pars altera contendat hanc cōfessionem non fuisse institutam ab ipso domino Iesu, nec potuisse tantum onus à puro homine imponi hominibus: illud certe negari nō potest, tutiorem esse, qui bene confessus fuerit idonco sacerdoti. Proinde quoniam extra cōtrouersiam est, cōfessionem hanc multis nominibus esse saluberrimam, si modo uterq; suo fungatur officio: uidelicet is, qui per cōfessionem querit medelam animæ, & is, qui tanquam spiritualis medicus consultatur: uisum est paucis differere, quibus rationibus fieri possit, ut quàm plurimū fructus capiatur ex cōfessione, & quàm minimū malorum admittatur, quæ quidem mala non tam ex re, quàm ex hominum uitio nasci uidemus: quem admodum ferè nihil est in rebus humanis tam sanctum, tam piū, tam, ut ita dicam, cœleste, quod hominum corruptissimi mores sibi non uertant in perniciem. Id quo fiat dilucidius, primum ostendemus paucis, quantas cōmoditates habeat hæc cōfessio. Deinde de quanta pestis ueræ pietatis hinc per occasionē nascatur

nascatur inter homines. Mox, quibus rationibus liceat assequi cōmoditates, quibusq; modis incōmoda uitari possint. Deinde reliqua persequemur, quæ ad audientis & confitentis officium pertinent.

Primam igitur ac præcipuam utilitatē quam Prima affert cōfessio peccatorū, arbitror quod non alia ratione melius, aut efficacius frangitur superbia mentis humane, ac ceruix erecta aduersus deum, quæ nisi magno studio deprimatur, erigit sese tandem aduersus omne quod colitur aut dicitur deus. Nam hic fuit & est fons omnis impietatis, quod nobis uidetur aliquid, quū nihil simus. Hoc deicit Luciferum cū infelici grege suo, quoniam sibi arrogabat, quod acceperat ex gratuita dei beneficentia: & erectus aduersus maiestatem cōditoris, præceptus datus est ad infima, dum molitur occupare summa: & omnium abiectissimus esse cepit, posteaquàm sibi nimum placuit. Atq; huius instinctus simul & exemplo principes humani generis aures, dum gustato arboris interdictæ foetu, affectant equari deo, depulsi sunt à paradiso. Lucifer mens erat quedam nobilis, immortalis, incorporea, nobis uix æstimandis dotibus prædita: tamen quoniā se non submitit ei, à quo acceperat, quicquid habebat felicitatis, & ad quem collatus nihil erat, corruit irreparabiliter: quanto minus conuenit

hominem tanto conditionis inferioris erigere cer-
 uicem aduersus deum à quo conditus est, & sine
 quo nihil habet aut potest. Et tamen hæc pestis in-
 sta est animis mortalium, nec cessat callidus ille ser-
 pens, quoscūq; potest eò pertrahere, per hanc lu-
 cem, quo decidit ipse. Quemadmodum primus ad
impietatem gradus fuit animus excelsus ac sibi fi-
dens, ita primus ad recuperandam pietatem erit
animus sibi prorsus displicens, ac deo sese submit-
tēs. Porro nulla potest maior esse submissio, quàm
 ut homo sponte sese submittat ad pedes hominis,
 eiq; prodat non solum facta, uerumetiam arcanas
 animi cogitationes, præsertim quum quædam sint
 eiusmodi, ut sine summo pudore narrari non pos-
 sint: quædam eius generis, ut nec sine grauissimo
 uitæ discrimine proferantur ei, qui uel stulticia, uel
 temulètia, uel malicia, uel morbo possit aliquãdo
 prodere quod audiuit. Tam illud perpende, quàm
quibusdam sit arrogans & insolens ingenium à
natura. Rursum quantam animi superbiam concil-
 liat alijs rerū successus, ueluti diuitibus, formosis,
 principibus, eruditibus, hypocritis, aut alioqui ma-
 gna apud homines dignitate præminentibus. Hi
 nimirum magnam uim animo suo faciant oportet,
 quū timore dei & amore salutis, deponunt cristas
 omnes, ac semet abijciunt ad pedes sacerdotis, ple-
 rung;

Primus ad
 impietatem
 gradus animus
 se excelsus:

rung; iuxta mundum humilis & contempti, eiq;
 ueluti diuino medico, totam sui pectoris purulen-
 tiam, cunctaq; conscientie hulcera retegunt. Dum
autem sic semet abijcit homo apud hominem dei
causa, erigitur & fit magnus apud deum. Quod
nisi frangatur in nobis ille spiritus ferox, non in-
fundet se spiritus ille mitis Iesu Christi, qui nõ re-
quiescit nisi super humilem & mansuetum, ac tre-
mentem uerba ipsius. Audiui uiros doctos ac pios
 hoc profitentes in familiaribus colloquijs, quod
 nulla ex re plus lucis & gratiæ cælestis capere so-
 liti sint, quàm ex sincera confessione, quū tamen
 confiterentur sacerdoti humili, parumq; literato.

Secunda utilitas est, quod pleriq; sunt, qui uel Secunda,
 per etatē, uel per imperitiā non intelligunt mor-
 bum suum, per errorem iudicantes nullum esse de-
 lectum, quod crimen est capitale: contra putantes
 hoc esse crimen, quod crimen non est. Aut si mor-
bum intelligunt, sic inuoluti sunt, ut nesciant semet
ipso explicare. Succurrit hic sacerdos, ueluti pe-
ritus medicus, ac morbum ignoratum ex indicijs
colligens, reuocat ab errore. Rursum frustra trepi-
dantem, ubi nihil erat periculi, confirmat. Deinde
qui perplexis malis irretiti sunt, doctis fidisq; con-
silij expedit, uiam ostendēs, qua possit malum ex-
cuti, siue tenacius ob naturæ procliuatē, siue

EXOMOLOGESIS PER

subinde recurrens ob diuinam consuetudinem & familiaritatē. In nullis enim malis magis sudat atq; medicorum, quàm in his, quæ longo temporis progressu sibi collegerunt familiaritatem, adeo ut in totum de quibusdam desperent, magisq; polliceantur mitigationem morbi, quàm sanitatem: uelut in morbo comitali iam inueterato, in podagra aut calculo senili. Ceterum in animi morbis non oportet usquam de salute diffidere, posteaquàm Christus & leprosos, & mulierem tot annos profluuio sanguinis obnoxiam mundauit, ac paralyticū tot annos decumbentem ad piscinam erexit, postremo Lazarum quatriduo iam mortuum reuocauit ad uitam. Quin & illud præstat doctus ac fidus medicus, ut ex indicijs corporis morbum imminens præfagiat, ac non magno negotio excludat aduentantem, quum semel uictorem summo labore uix possit propellere, idem facit prudens ac fidus animæ medicus, ubi sentit euidens imminentis mali periculum, admonet indicatq; quibus rationibus uitari possit. Id nusquam fit tempestiuus, quàm in confessione sacramentali.

Tertia. Liberum erit & hanc utilitatē quam dicturus sum, uel tertiam facere, uel ordini proximo adiungere, quod duobus maximis malis medetur sacerdos in confessione. Quorum alterum est pestilens securitas

ERASMV M ROTEROD.

securitas, aut hac etiam pestilentior, gloria de peccatis: alterum multo etiam utroque periculosius, desperatio clementiæ diuinæ. Quædam enim peccata tacitam habent gloriam: quod genus sunt, constupratio formosarum puellarum, aut nobilitum ac diuitum matronarum expugnatio, aut ingens pecuniæ uis alea perditæ, aut inimicus malis acceptus modis, aut conuiuium immodico sumptu apparatus. Hæc quidam sic confitentur, ut non solum non pudeat admissorum, uerum iactent magis ut gloriosa facinora. Hoc ubi senserit sacerdos, conabitur omnibus modis excutere ex animo confitentis stultam gloriam: & ostensa peccati turpitudine, pro gloria pestilente, salutiferum pudorem ac dolorem inducere. Contra, quædam peccata sunt eius generis, ut ab his ipse naturæ sensus abhorreat, seseq; damnet atq; oderit, quæ perpetravit. Veluti parricidium, infanticidium, prodigiöse neq; nominandæ libidinū species, furta uulgaria, quæ nulla constant arte, ueneficia, collusio cū impuris spiritibus, blasphemia aduersus deum, aliaq; his similia. Horum enormitas frequenter pertrahit hominem in desperationē, quod malum est omnibus malis atrocius. Minus enim uidetur offendere deum, quæ illius bonitas reddit negligentem, quàm qui desperans de uenia, negat deum esse bonum

bonū & clementem, quū deus sit ipsa clemētia: ne-
gat esse ueracē, quū p̄miserit peccatori ueniā, qua
cumq; hora ingemuerit de peccato, facturus utiq;
quod promisit, si uerax est, negat omnipotentem,
quasi illum sit malum hominis, cui ille mederi non
possit. Hic igitur sacerdos nihil non proferet, quo
iacentem ac sui desperantē erigat ad spem ueniē,
& erectum confirmet, ne relabatur.

Quarta. Sunt autē quorum animi tam infirmi sunt &
imbecilles, ut nec in leuioribus admissis ausint sibi
polliceri ueniam, nec habeant requietam conscien-
tiam, nisi per sacerdotem accesserint solennes cere-
monie, quibus datur absolutio. Humanitatis autē
Christiane puto, & huiusmodi mortalium infirmi-
tati morem gerere, donec proficiant ad robur ani-
mi firmioris, ad quod cōueniet illos identidem ex-
hortari. Quod idem faciendum censeo erga eos,
qui ex simili infirmitate crebro repetunt eorundē
criminum confessionem, & se discruciantes, & sa-
cerdotis otium perdentes. His nōnunquam morem
gerere Christiane charitatis est, sed sic, ut admoni-
tione prouehantur ad perfectiora, discantq; plus
amare, trepidare minus.

Quinta. Quinta utilitas est, quod quoniam nulla sit re-
missio peccati, nisi adsit idonea detestatio com-
missorum ex amore dei proficiscens, ac serium cer-
tumq;

tumq; propositum in posterum abstinendi ab omni-
bus quæ deum offendunt, ad hæc paranda non me-
diocriter adiuuat meditatio confessionis apud ho-
minem. Quemadmodum enim qui dicturus de re
quapiam apud iudicem cogitat uigilantius, & at-
tētius omnes negocij circūstantias perpēdit, quam
si semota dicendi sollicitudine cogitaret: ita qui me-
ditatur quid dicturus sit apud sacerdotem, altius
considerat magnitudinem ac turpitudinem crimi-
num suorum, repetens quoties in ea relapsus sit, &
quā diu in suis tenebris ac sordibus uersatus, quan-
tisq; bonis interea seipsum priuauerit, alienatus à
deo, segregatus à cōmunionē totius corporis Chri-
sti, obnoxius eterno gehēnæ supplicio. Ex harum
rerum attenda consideratione nascitur horror pec-
catorum, qui nōnunquam ducit originem ex metu
supplicij, gignitq; desperationē, nisi proficiat usq;
ad spem ueniē per contemplationem misericordiæ
diuinæ, perq; fiduciam erga dominum Iesum, qui
semel dependit pro peccatis omnium, donec timori
seruili successerit amor filio dignus, cui cōmissa
displicent: non iam quod pertrahant in gehēnam,
sed quod patrem optimū ac sic de nobis meritum
offendunt. Etenim si filius ex animo diligens pa-
rentes suos, etiam si nullus sit metus pœnæ, tamen
nolit sciens admittere, quod offendat animos illo-
rumq;

Comparatio

Primum: quanto magis qui deum amat, amandū super omnia, & præterita commissa detestatur, quibus offendit deum, & cauet ne quid in posterum simili se committat. Hæc igitur utilitas hortaretur hominem ad confitendum sacerdoti, etiam si nõ esset necessaria confessio; quanto magis amplectenda, si necessitas pertrahat ad utilitatem.

Sexta.

Sexta utilitas est, quod quemadmodum magnitudo doloris ex peccatorum consideratione concepta, impetrat dei misericordiam ad relaxanda commissa, ac propositū in posterum abstinendi à commissis reddit firmitus: ita pudor ille retegendi peccatus suum homini, bonam poenæ partem adimit, hominemq; cohibet, ne facile relabatur in eadem.
Quemadmodum pueri uerberibus ac pudore docentur cauere, ne quod semel deliquerūt, repetant.
Porro maxima pars hominū infirma est & imbecillus, & ad peccandū prona. Pudor autem hic generosis animis adeo molestus est, ut multi sint qui mori malint, quàm pudescere, nisi uel amarent deum, uel mctuerent gehennam.

Septima.

Septima utilitas est, quod quia iuxta uetus pro uerbum, præcipua sapientiæ pars est, ut homo no rit seipsum: hoc nulla res magis præstat quàm confessio, quæ totum hominem sibi ipsi subinde ponit ob oculos, excussis omnibus animi latebris, dum penitus

penitus cõsiderat, quò uocent præcepta dei, & ad quæ ipse propensus sit, & quibus occasionibus labatur. Hæc est enim uera meditatio in lege domini, ut homo componat se ad eum uitæ statū, in quo se cuperet esse, si iam supremus uitæ dies urgeret.

Octaua.

Octaua utilitas est, quod qui confitetur sacerdoti, non solum illius consilio, consolatione, exhortationeq; iuuatur, uerum etiam precatione. Imprecatur enim confesso gratiam sancti spiritus, ac robur ad fortiter resistendum Satanae. Quod si cupuslibet hominis pij deprecatio non est inutilis ad dei gratiam impetrandam, quanto minus sacerdotis? Nimirū hoc est quod docet Iacobus, hic quoq; plurimum ualere iusti deprecationem assiduam.
Ne quid interim dicam de potestate clauū, de qua copiose traditum est à Theologis, ut necesse non sit hic repetere. Nam quid sit attritio, & an ex attritione per confessionem fiat contritio; & an confessio efficiat, ut in primo statim instanti remittatur peccatum, Scotistis disputandum relinquo. Hactenus præcipuas cõfitendi utilitates recensuimus.

Nunc locus admonet, ut de malis quæ uidentur ex occasione confessionis accidere, sed hominum uitio potius quàm rei, paucis dicamus.


Primum autem uidetur, hæc admissorum inter Primum, homines cõmunicatio, nonnihil inficere simplicitatem

tem illam & innocentiam naturalem, qualem uide-
mus in pueris ac puellis nondum infectis huius ui-
tae corruptelis. Huius innocentiae magna pars est
nescire peccatum, ac ne suspicari quidem esse qui
talia aut talia patrent. Quod saepe fateri solent sa-
cerdotes etiã eruditi, & qui ex lectioe librorũ ple-
raq; nosse poterant, se nũquam suspicatu-
ros fuisse talia scelera cõmitti inter homines, qualia audiunt
à confitentibus. Maxime uero inficiunt ea, quæ
pertinent ad libidinem aut curiosas artes. Sunt
enim quaedam libidinum species, quas nemo pru-
dens uellet narrari apud filios aut filias suas, quod
natura per occasionem procliuus sit ad malarum
rerũ experientiam. Vnde tutius est hæc ignorare
quoad licet. Rursus sunt artes maleficæ, quæ curio-
sos pelliciunt ad harum experientiam. Et insita est
ferè ingenijs hominum uitiosa curiositas, titillans
animum cognoscendi libidine. At sacerdotes homi-
nes sunt, saepe iuuenes, nonnunquam & mali, aut
certe imbecilles. Horum animus corrumpitur au-
diendis aliorũ prodigiosis admissis, ac saepe propel-
luntur ad eadem patranda, quæ ab alijs patrata di-
dicerunt. Atq; hæc pestis latius etiam serpit, quo-
ties, ut fit, sacerdotes quod à confitentibus audie-
runt, apud alios referunt, tacitis quidẽ nominibus,
sed res ipsa frequenter auditorem inficit. *Quantum*

quàm grauius etiam peccant, qui nusquam referen-
da referunt in publicis concionibus. Proinde magi-
stratus profani qui sapiunt, & ciuitatem cupiunt
incorruptam, quum nocentem afficiunt supplicio
capitis, non semper pronunciant omnia cõmissa,
quod non expediat cuius scire, esse qui talia com-
mittant. Olim quum admodum puer agerem Da-
uentriæ, audiebam mulierculas parum integre pu-
dicitie, quarum illic magna tum erat copia, sibi ui-
cissim applaudentes & gratulantes, quod suis ama-
toribus indulgerent, propterea quod parochus in
concione dixisset, pastores quosdam fuisse confes-
sos, quod parum caste sese gessissent erga gregem
suũ. Erat autem iubilæum. Quid illo parochi stul-
tius, qui nulla coactus necessitate, imò ne utilitate
quidem ulla inuitatus, hoc effutiret apud populũ,
unde scortatores & adulteri suis uitijs blandiren-
tur? Nuper etiam quidam Franciscanus in publi-
ca concione dixit in oppido celebri, si uetus dura-
ret lex, ut adultere lapidarentur, totum montem
è saxi congesum, non suffecturũ lapidationibus.

Secundũ malum est huic affine, quod hinc mul-
ti blandiuntur suis uitijs, nimirum ex collatione
peiorum: uidelicet quum is qui scortationibus &
adulterijs totus contaminatus est, sibi purus uide-
tur, quum ex confessione discit cum incubonibus

Secundum.



EXOMOLOGESIS PER

aut cum brutis foedos congressus: aut quū alioquū
discit magnis criminibus oneratos, quos credebat
esse doctos, graues ac sanctos uiros. Sic enim est
ingenium humanum, ut aliena quisq; mala libēter
exaggeret, sua attenuet. Audiui Theologum quem
dam non abhorrentem à mulierculis impudicis,
narrantem se audisse quendam sacris uirginibus
praefectum, qui confiteretur sese stupraße ducētas
uirgines. Ex hoc adeo sibi blandiebatur is qui hoc
refererat, ut nunquam cogitaturus uideretur de
meditanda castitate.

Tertium.

Tertium incommodum est, quod haec confessio
superciliū addit plerisq; sacerdotibus, quos patres
esse uoluit deus, non dominos. Dominus autem est
alterius, qui nouit illius arcana. Nec potest non
metuere, qui credidit: ac ferē despicit, qui conscius
est. Itaq; per confessionem uidetur adimi libertas
Christianis, inter quos non uult Christus esse domi-
nium, & extingui charitas: odit enim, quisquis me-
tuit: & uix amare potest, qui turpium conscius est
alteri. Certe minoris facit, nimirum habens telum,
quo confessum perdat ac terreat. Quod si sacer-
dos integrior est, quā ut abutatur conscientia, ta-
men sepe casu incidunt, quae rapiuntur in suspi-
cionem. Ita fit, ut insincera sit amicitia inter con-
fessum & auditorem. l.

Quartum

ERASMV M ROTEROD.

Quartum est, quod confitens non raro incidit
in sacerdotes malos, qui sub praetextu confessionis
patrant non referenda, proq; medicis fiunt aut so-
cij, aut magistri, aut discipuli turpitudinis. Vtinam
uidear hoc frustra monuisse, ac non tam multa
passim exempla occurrerent, quae nec sine dolore
recordor, nec sine pudore possim referre.

Quintum.

Quintum est, quod haec confessio multos in fa-
mae uitaeq; discrimen adducit ob sacerdotes parum
tenaces silentij. Quod autem hominis membrū ma-
gis lubricum lingua? Quem inuenias, qui non per
occasionem effutiat aliquid in sinū amici, cui tar-
tum ausit credere, quantum ipsi creditum est? Ut
ne loquar de multis tali ingenio praeditis, ut rumpi
sint, nisi quod creditum est effutierint. Vti-
nam hoc uitij in foemineum sexum duntaxat haer-
reat. Hic nō dubito, quin unicuiq; nimium multa
exempla succurrant, à quibus libēter abstineo. Iam
ut demus sacerdotem linguae temperantis, frequen-
ter odium ac simultas oborta rumpit silentij repa-
gula: nōnunquam & ebrietas, quae quod est abdi-
tū in corde, facit ut natet in lingua. Postremo mor-
bus aut phrenesis oborta rumpit hoc silentium,
quod ego iuuenis in parocho quodam euenisse cog-
nouit: qui quū incaluisse in concione, nominatim
prodidit multarum scelera. Neq; uero rara sunt

B 2 exempla

EXOMOLOGESIS PER

exempla eorū, quibus uoces sacerdoti credita per
 iugulum rediere. Iam sunt casus quidem excepti,
 in quibus fas est prodere confitentem. Sed his casū
 bus quidā imputant, quicquid ipsos hortatur ad
 effutendum arcanum. Alij non putant se peccare,
 si tacitis nominibus domū aut collegium infamēt.
 Quis autem ferat æquo animo, suam etiam ciuita
 tem aut patriā infamia aspergi? Quam uero mul
 tos audiui, qui in conuiujs apud quoslibet refer
 rent, quod ex defunctorum confessione didicissent:
 existimantes id sibi licere, quum nemo uiuus uelit
 apud posteros infamari suam memoriam. Deniq;
 principes aliquoties iureiurando exigunt, ut sacer
 dotes prodant autorē criminis. Ego ut uehemēter
 probarim, si sacerdos non prodito homine, consu
 lat reipublicæ, ita non habuerim pro periuro, si iu
 ret se nescire, quum interrogatur de his, de quibus
 interrogari non debet. Videtur autem inhumaniū,
 quenquam huic tanto periculo exponere, præser
 tim quū tot sint exempla periclitantium. Iam hoc
 onus non solum grauat confitentem, uerum etiam
 audientem. Nam ut omittam, quā graue sit sa
 cerdoti docto bonoq; tantum temporis conterere
 audiendis humanæ uitæ sordibus, interdum, ut dixi
 mus, & cū suæ integritatis periculo ferre graues
 halitus olentiū allia, aut morbo uitiatorū, præser
 tim

ERASMV M ROTEROD.

tim quum multi laborent lepra, qui semoti non
 sunt, aut scabie Gallica, quæ species est lepræ: nec
 ulla uia contagiū certius, quā hausta ægroti ani
 ma, ut molestiæ sit adiunctum non mediocre peri
 culum. Quā durū est parochum uirum florenti
 etate, literis ac moribus utilem reip. huc adigi ne
 cessitatis, ut media nocte sese demittat in cubicu
 lum, ubi purgauit aluum, ubi uomuit qui laborat
 pestilētia: ubi sudat, lauatur, ungitur, adurit qui
 laborat scabie, quam uocant Gallicam, atq; in hoc
 periculo desiderere, donec ille peregerit suam con
 fessionem. Nec satis est iuisse semel, reuocatur ite
 rum atq; iterum, quoties moriturus iam delirans,
 clamat sese nescio quid oblitum. Has ob causas
 Theologi ducunt argumentū, confessionem hanc
 non ab hominibus, sed ab ipso Christo fuisse insti
 tutam. Quum enim Petrus apostolorum princeps
 censuerit iniquum gentibus imponere iugum legis
 Mosaicæ, quod nec ipsi portare potuissent, neq; pa
 tres ipsorum: inhumanissimū uideri poterat, si ho
 mines hominibus hoc confessionis onus imposuis
 sent, quod solū plus habet sarcinæ, quā uniuersa
 lex Mosaica, quū hoc potius hortari uideatur fra
 terna charitas, ut quantū licet, alij aliorum onera
 subleuemus. Christus non exegit à quoq; celibatū,
 & rem tam grauem homo exigeret ab homine.

Paulus indulgens hominū infirmitati, remittit ali-
quid de præcepto domini: & qua fronte qui cum
Paulo conferendi non sunt, imponerent talem sar-
cinam ultra præceptum domini?

Sextum. Sextum incōmodum est, quod hæc secretorum
admissorum atq; etiam cogitationum patefactio,
docere uidetur impudentiam. Posteaquam enim
semel atq; iterum perfricuerūt faciem, ut audeant
hæc fateri sacerdoti, tanto fiunt audaciores ad pa-
trandum quod libet. Est autem pudor unicus cus-
stos innocentie. Porro sunt quædam eius generis
uitia, ut penè plus inficiat cōmemoratio, quàm gestio.

Septimum. Septimum quod hæc commemoratio secreto-
rum criminum, multos imbecilles adducit in despe-
rationem, quosdam etiam in phrenesim, quū id po-
tissimum sit agendum, ut peccator sumat fiduciam
de Christi promissis, & amet potius quàm metuat.
Etenim quisquis hunc affectum in deum non conce-
perit, is frustra confiteatur. Verum anxia recen-
sio generum, specierum, circūstantiarum aggrauā-
tium, & in aliud genus trahentium, auocat animū
à charitate in deum, ac gignit odium ac despera-
tionem, præsertim quum quidam tot laqueis inuol-
uerint hoc confitendi negocium, ut non temere in-
uenias, qui planè tranquilla conscientia discedat à
sacerdote. Hoc malum potissimum accidit in pue-
ris,

ris, mulierculis, senibus, & qui natura sunt animo
meticuloso, quos ego non paucos noui. Tum uero
plus est periculi, quum tales incidunt in seuum ac
iurgatorem sacerdotem.

Octauum. Octauum, sunt alij nimium cōfidentes, qui quū
aut nihil aut leuiter cogitarint de mutanda uita,
nec animo conceperint seriam detestationem uitæ
superioris: hoc sibi satis esse ducūt, si sacerdoti re-
censuerint quid egerint, & si ille pronunciet abso-
lutionem. Atqui nihil est hac fiducia pestilentius.
Nec desunt sacerdotes, qui talibus bladiuntur, aut
certe conuiuent.


Nonum. Nonum, quod exactio cōfessionis uidetur mul-
tis occasionem prebere hypocriseos. Quum enim
sit longe difficilimum huc applicare animum, ut
recte quis ac quemadmodum oportet confiteatur,
tamen metu infamie aut excommunicationis, mul-
ti fiste confitentur, & illudunt sacramento pœni-
tentie, leuius mali futuri, si ab Eucharistia simul
& confessione abstinerent, donec concepto odio uitæ
prioris, ultro expeterent confessionis remediū.
Nunc hypocrisim iungunt sacrilegio.

Hæc aliaq; permulta faciunt, ut si quis attētius
expendat rem, dubitare possit utrum hominum uē-
tio plus officiat pietati confessio an conducatur.

Supereft igitur, ut quod quemadmodum docēt,

mutari non potest, ita tractetur à nobis, ut inde quod plurimum fructus ad nos redeat, incommodi quam minimum. Id fiet, si uterque, hoc est & confitens & auditor suo fungatur officio. Non enim debet sacerdos tam arduum audiendi munus suscipere, nisi doctrina, animi rectitudine, prudentia, sed ante omnia pietate ad hoc idoneus. Et si quid alioqui haberet affectus humani, tamen auditorus debet sacerdotis personam sumere, neque quicquam habere præ oculis nisi deum, cuius illic quodam modo uicem gerit. Etenim si quorum uita parum est syncreta, tamen quum ad syntaxim accedunt præparant sese ne accedant indigni, itidem auditorus deberet animum suum ad rem tam seriam, tamque sacrã præparare, ne malum medicum præstans, & proximi morbum augeat, & iram dei in se prouocet, & uterque ab altero discedat deterior. Nunc ferè fordidissimi sacerdotes, indocti, leues, futiles, quidam etiam cerebri parum sani, nonnunquam & bene potius, ob lucellum ingerunt sese huic tanto negotio. Atque huius culpæ bona pars est penes episcopos, quorum partes erant aduigilare, ne passim indigni recipiantur ad sacerdotium. Præstat enim habere paucos idoneos, quam gregem inutilium, ne dicam nocentium. Sed multo diligentissime prouidendum erat, ne cura gregis credatur parum idoneo. Idem admonendi

admonendi sunt patriarchæ Franciscanorum ac Dominicalium, qui potissimum capessere solent hoc munus, nonnunquam & ingerunt sese, quibus locum fecit pastorum insignis oscitantia. Nec enim hoc munus cuilibet est delegandum. Porro qui confiteri parat, debet hic quoque sibi consulere, ut sacerdotem idoneum deligat, nec facile mutet, quem semel bonum expertus est. In corporis morbo circumspicitur medicus idoneus, & in animi morbo quemlibet accersimus, præsertim quum aliquoties comperit sit, laicos curiosos se pro sacerdotibus gerere. Porro quibus nondum est hac in re iudicium, uel propter ætatem, uel propter imperitiã, his oportebit parentum & præceptorum prudentiam succurrere, & indicare cui potissimum expediat confiteri. Nunc multos uideas, qui data opera sibi pessimum quemque deligant, ut ab inuiso negotio quam minimo explicentur negotio. Talis confessio nihil minus est, quam quod dicitur. Neque multo plus fructus referunt illi, qui leuiter, ac uelut ex consuetudine sacerdotem aduocant. Qui confiteri parat, cogitet sese rem magnam & omnium maxime seriam agere, atque ita studeat confiteri, quasi nunquam iterum confessurus. Est enim poenitentia, uelut alter baptismus. Nemo uero baptismum suscipit, nisi hoc uoto, ut nunquam admittat, quum iterum baptizetur.



EXOMOLOGESIS PER

Ita quanquam ob imbecillitatem humane nature non reijciuntur, qui sepius relapsi redeunt ad poenitentia: tamen qui poenitentiam suscipit, hoc animo uotoq; debet esse, ut decies mortẽ obire malit, quam iterum admittere quæ deslet. Olim ad publicam poenitentiam in plerisq; ecclesijs non recipiebantur, qui post semel actam poenitentiam recidissent. Adeo cuperet ecclesia non esse reditum ad peccandum, si fieri posset. Atq; hic, ut in plerisq; rebus prepostera est cura mortalium. Anxie se torquent, ut annumerent bona fide peccata, ne quam speciem omittant: ne quam circumstantiam pretereant: atque hæc quidem oportebat non omittere, uerum dum in his sunt toti, negligitur id quod est totius negocij caput: primum itaq; deo confitendum est. At huic confiteri, difficillimum est, qui non audit nisi uocem cordis. Quod si contigerit, facile est confiteri homini. Proinde prior illa pars huius negocij tanto studio tractanda est, quasi sola sufficiat. Huius illud est caput, ut homo penitus concipiat odium peccatorum, non huius aut illius, sed omnium quæ deum offendunt: idq; iam non tantum ex formidine uindictæ diuinæ aut humanæ, sed ex amore libero quo rapitur in deum. Etenim qui hæc detestatur peccata, ut ea repetiturus sit, si liceret impune, is non effugit

ERASMV M ROTEROD.

giet gehennam. Et qui sic detestatur ebrietatem, ut tamen illicitis amoribus indulgeat, non odit peccatum ex amore dei, alioqui pariter odisset, quicquid illum offendit. Iam uotum illud mutandæ uitæ, nec firmum est, nec frugiferum, nisi proficiatur ex amore dei. Porro non est in potestate peccatoris, ut ipse sibi largiatur hunc affectum. Dei donum est gratuitum, ab illo tamen lachrymis, precibus, eleemosynis, alijsq; pijs studijs ambiendum. Implorare nonnunquam expedit piorum hominum apud deum interuentum. Quod si non statim contingit quod ambitur, non est tamen desistendum à bene cœptis. Sæpe deus differt sua dona ut uberius donet. Est ille benignus, & gratis largitur suas dotes, sed non largitur oscitantibus. Proinde qui ex consideratione uitæ turpiter actæ, & ex metu gehennæ concipit aliquam detestationem criminum suorum, non statim accurrat ad sacerdotem, sed perseueret in lachrymis, ac precibus querat, petat, pulset, donec senserit aliud timoris genus cum uoto certo mutandæ uitæ, cumque amore bene sperante coniunctum. Vbi spiritum hunc senserit, quem Paulus uocat filiorum, caueat ne quisquam hinc sibi tribuat, agnoscat gratuitum dei donum, & abiectus ad pedes illius, gratias agat eius benignitati, rogans



EXOMOLOGESIS PER

gans ut quod gratis largitus est pro sua bonitate, perpetuum esse uelit, ac semper in maius atgere: nec suo uoto sic fidat, ut existimet se suis uiribus posse à peccatis abstinere, sed cum magno tremore imploret opem cœlestem, ut idem confirmet & adiuuet uotum qui dedit. Ceterum uotum illud nō solum complectitur fugam peccatorum, uerum etiam omniū per quæ solitus est ad peccandum sollicitari. Huc ubi profecit homo, iam redditus est ecclesiæ, iam ex seruo diaboli factus est filius dei, iam liber est à peccato. Quantulum igitur est hoc quod superest, si conseras ad id quod præcessit? Quem uere sui pudet apud deum, leuius erubescet apud hominem, sed pudor pudorē, ac dolor dolorem uelut clauus clauū propellet. Nec grauibitur bona fide patefacere sacerdoti, quæ non nisi semel dicturus sit, præsertim si cogitet se per sacerdotem deo loqui. Consultum autem fuerit, ut singulis diebus suam quisq; conscientiam examinet, deoq; confiteatur ex animo, renouans propositū suum: aut si id per occupationes non uacat, certe semel in hebdomade, cū proposito ad eūdi sacerdotis, simul atq; tēpus et occasio sese dederit, nisi tanta fuerit imbecillitas animi, ut nō conquietat, nisi mox sacerdoti cōfessus. Hic nō excutiam quantū sit tribuendū istis laqueis, quibus homines cōfessionē

astrinxerunt:

ERASMV M ROTEROB.

astrinxerunt: loquor de potestate sacerdotis cui confiteris, de casibus reseruatis, de censuris. Optarim tamen ob tranquillitatem conscientiarum, ut episcopi ac pontifices, cuicumq; crederent auctoritatem audiendi confitentem, eidem impartirēt auctoritatem absoluendi ab omnibus peccatis cuiuscunq; generis aut magnitudinis: item potestatem relaxandi censuras quasq; duntaxat in foro conscientie: deniq; dispensandi in casibus, in quibus perplexitas ex hominum constitutionibus nascitur: uelut in matrimonio quod coijt inter cognatos, aut spiritali propinquitate coniunctos: item de uotis, præsertim si quod cōmissum est, per errorem cōmissum est, nō per maliciam. In alijs itē ob graues causas relaxandi ius commune. Quis enim melius perspiciet an hoc expediat fieri, quàm is, cui tota hominis uita patrefacta est? Sed expeditius id fiat, si pontifices quasdam constitutiones quas ob pias causas induxerunt olim, nunc ob necessarias abrogent: simulq; declarent, quibus cōstitutionibus uelint homines obstringi ad crimen, quibus non. Nam quibus est potestas in totum abrogandi constitutionem, iisdem potestas est efficere, ut non astringat ad reatū criminis, nisi interuenerit malicia contumax. Sed quamdiu res hoc loco stant, suaserim deligere sacerdotem, cui præter eruditionem

nem



EXOMOLOGESIS PER

nem & integritatem etiam ad sit potestas legitima, ne quid in animo scrupuli resideat, ut post iteranda sit confessio. Ceterum anxietatem in circumstantiis omnibus explicandis non admodum probo, quando quod hac de re refertur in sententijs Theologicis, ferè sumptum est ex opere cui titulus, de uera & falsa poenitentia, quod constat Augustino falso inscribi. Quemadmodum nec illorum immodicam trepidationem approbo, qui ueluti sub omni lapide dormiat scorpius, quemadmodum habet prouerbiu, ita culpam omnem faciunt capitalem. Qualem & ipse noui quendam olim, qui pridie ieiunans tempore coenae sumpserat aliquid saccaraceu. Quum autem staret accinctus ad canendum solenne sacru coram populo & principe, qui tum aderat, atque ex proluione oris sensisset nonnihil saporis ex mica saccari, quae denti ut suspicor cauo inhaeserat, accurrit anxius ac semianimis ad me, consulens an deberet sacrificare. Risi hominis imbecillitatem, iussiq; ut bono animo faceret rem diuinam. Atque huiusmodi scrupuli ferè nascuntur ex constitutionibus humanis. Nam prorsus ab hominibus constitutum est, neq; tamen non recte, ut sacerdos ieiunus sacrificet. Hinc exanimantur quidam, si dum os prolunt, aquae guttula se demiserit in gulam, & aut abstinent à sacro, aut trepidi & irrequieti sacrificant.

ERASMV M ROTEROD.

sacrificant. Atqui non haec erat mens eorum, qui id constituerunt, ut si quis forte ministrans egrotato, prægustasset cibum, uelut soluto ieiunio abstineret à sacro. Hic occidunt, piarum mentium est, ibi timere culpam, ubi culpa non est. Audio & factor, sed per omnem uitam nihil aliud quam trepidare, non minus prodigiosum uideatur, quam semper manere puerum aut infantem. Malo superstitiose piuum, quam improbe licenterque sceleratum. Sed ferè fit, ut qui in huiusmodi maxime superstitiosi sunt, in grauioribus sint mire securi. Quam multos ipse noui, qui non ausi fuissent sacrificare, si per imprudentiam gustassent aliquid gimziberis ad pellendam stomachi nauseam: nec dubitabant ijdem accedere, magnum erga proximum odium, & ulciscendi propositum habentes in pectore? Sed uera charitas, quae dilatat animum, ac fiducia certa concepta in Christum, facile discutit eiusmodi scrupos. Simili modo quidam torquent sese de modo studioque preparationis, quam dicunt oportere esse exactissimam, qui gloriari uolunt, non in carne tantum, sed etiam in conscientijs hominum. Moderatam ego pro uiribus hominum preparationem facile reapiam, si modo ad sit perfectu odii admissorum, ac certum



EXOMOLOGESIS PER

ac certum destinatumq; uotum uitæ in melius con-
mutande. Sed tamen de præparatione minus tor-
quebitur, qui iuxta meum consilium assueverit sin-
gulis diebus, aut certe singulis hebdomadibus ex-
cussa uita sua confiteri deo. Debet autem hoc esse
studio confitenti, ut confessionem suam, quantum
potest in compendium conferat, ne superuacaneis
oneret aures sacerdotis. Id fiet, si ea duntaxat refe-
rat, quæ grauent cōscientiam, quod genus sunt cri-
mina certo capitalia, aut uehementer suspecta. Ne-
q; tamen negligendæ ueniales culpæ, duntaxat in
examinanda corrigendaq; uita. Siquidem negle-
ctæ pertrahunt ad grauiora, & si credimus Augu-
stino, paulatim hinc atq; hinc admissa tandem de-
mergunt nauim cōscientiæ, non minus quàm un-
da decumana, subito nauim obruens. Quidam au-
tem ex confessione faciunt confabulationem, qui-
buslibet de rebus interim garrientes, cui uitio potis-
simum obnoxia sunt mulierculæ, quibus iucundum
est uel sic cum uiris confabulari, & in sinu illorū
effundere, si quid stomachantur in maritos aut ui-
cinos. Comperi quosdam, qui ex formula confiten-
tur, eaq; proluxa, quam edidicerūt. Ex ea recensent
non quid admiserint, sed quicquid admitti potuit.
Qua re nihil ego arbitror ineptius. Nec sacerdotē
debet illic quicquam sciscitari aut admiscere, nisi
quod

ERASMV M ROTEROD.

quod ad pœnitentiam attinet, nec cōfitentem aliud
loqui. Quidam uehemēter approbant subinde re-
peticam cōfessionem, eamq; generalem: & quam-
uis leui de causa suadent repetendam, à quibus ego
uehementer dissentio. Magnum ego duco, si quis
semel bona fide sua cōmissa patefaciat sacerdoti,
eaq; lachrymarum hymbre diluat: neq; consene-
scat in perpetuo luctu, sed sumpta fiducia, letus et
alacer accingatur ad studiū uitæ melioris. Quod
si relabi cōtingerit, tantū ea sacerdoti recēseat, quæ
à proxima cōfessione cōmisit. Alioqui fit cōsuetu-
dinis res cōfessio potius quàm remedij: & incipit
quibusdam etiam adlubescere, quod per se est ina-
mcenū, subinde mouere cœnū: ac pudor interim,
qui, ut dixi, certissimus est innocentie custos, pau-
latim dediscitur. Sic est quorūdam mortalium in-
genium, ut in eo quod semel approbare cœperint,
nunquam ipsis fiat satis. Quemadmodum olim nō
impium est uisum, ut singulis diebus fieret aliqua
cōmemoratio, nunquam satis laudate uirginis ma-
tris. Dicta est cantiuncula uespertina, sed breuis:
ea nūc apud quosdā proluxior est, maioreq; pera-
gitur tum apparatu, tum hominum frequentia,
quàm Liturgia uespertina à priscis tradita. Nec
hoc erat satis, accessit nolæ signum mane, hoc lem-
mate, quod dicant esse incertum, diluculō ne an ues-



EXOMOLOGESIS PER

spere Gabriel salutauerit uirginem. Visa est causa grauis. Additæ sunt preces horariæ peculiare uirgini, quasi parum laudis haberet ex quotidie laudato filio. Atq; hæc apud plerosq; dicuntur ante solennes preces, ne filius uideatur non cedere matri. Ne id quidem satis. Non placent hymni, quibus absoluto conuiuio aguntur gratiæ deo, nisi multa proprie tribuantur beatæ uirgini. Quis non diceret hæc esse satis? Adiectum est sacrum dilucularium, quod canitur modulata uarijs harmonijs musica, nec sine musicis organis. Ne quid interim dicam de sacellis in templo peculiariter illi dicatis, de pompis imaginum. Quorsum hæc, inquires? Ut ostendam multa ex bonis initijs nata, affectibus hominum in immensum prouehi. Idem accidisse uidetur in confessione. Primum erat plausibile, semel illam fieri. Iussa est repeti quotannis. Visum est hoc sat moderatum. Exigi cœpit bis in quadragesima, præter ecclesiæ præceptum. Nec desunt qui disputent toties repetendam, quoties relabimur in crimen. Inuenta sunt uariæ repetendi causæ. Nec est confitendi finis. Sacerdos accessurus ad mensam dominicam, semel atq; iterum cõfitetur sacerdoti. Rursus ab altari descendens, confessionem facit sacri proœmium. Hoc populo datum uidetur. Rursus post lectum Euangelium apud Italos, & fortassis

ERASMV M ROTEROD.

fortassis apud alias quoq; nationes, uertit se parochus, & pro expositione sermonis Euangelici, pronunciat solennem formam cõfessionis & absolutionis. Atq; ex ueteri quoque more templum ingressuri, asperguntur aqua sacra. Idem fit iam dimissis. Et hæc quoq; confessio quedam est. Ad hæc laicis nõ datur eucharistia nisi confesis. Rursus à iam ad aram procumbentibus exigitur confessio, quo tempore præstabat aliquid à sacerdote dici, quod animos sumentium accenderet ad amorem eius, cuius sumunt corpus & sanguinem. Deniq; quõ mortis urget discrimen, quoties ingeritur cõfessio? Quõq; iam est in summis labris anima, adest sacerdos aut monachus, qui rogat nunquid oblitus sit, ac iam mortuo pronunciat absolutio. Nemo putet hæc dici in odium confessionis, sed illi tempori congruebat alia cantio, de charitate Iesu Christi erga genus humanũ, de fiducia erga bonitatẽ illius, de promissis Euangelicis, de huius uitæ calamitatibus, de cœlestis uitæ gaudijs. Sed iam dudum Ratio confitendi. expectas lector aliquam confitendi rationem, quam sequutus, possis, ut oportet, omnia recensere apud sacerdotem. In hunc usum complures libellos ædiderunt, quidam etiam uulgari lingua, cõmemorantes quicquid inter homines committitur, aut committi potest sceleris. Hos libellos ut nõ nego recte

C 2 legi



legi à confirmatis etate usuq; rerum uiris, ita meo iudicio periculose sparguntur in uulgus. Nec dissimili uitio peccant sacerdotes, qui ab omnibus sciuntur de omnibus, nō habita ratione sexus, etatis, aut ingenij. Scripsit autem copiosissime beatus Thomas de uirtutum ac uitiorū genealogijs. Sed nos nunc laicis potissimum hæc scribimus. Simplicior itaq; ratio querēda est. Cognitio symboli, ac præceptorū dei, ad bene uiuendum necessaria est, etiā si nulla esset necessitas cōsultendi cuiq; homini. Hæc quotānis pastores cōpendio, ac dilucide deberēt tradere populo, ac libellis etiā uulgari sermone descriptis infigere. Præceptorum autem omnium caput est fides, quæ per dilectionem operatur. Dilectio duplex est, dei, & proximi. His cognitis, facile perspiciet quiuis ubi deflexerit ab his, quæ sunt

Fides. fidei & charitatis. Oportet autem fidem non esse leuem, aut in labijs tantum natantem, sed penitus infixam cordi, ut ore fiat confessio ad salutem. Ea potissimum in hoc sita est, ut credamus quicquid diuinæ literæ Christianorum omnium consensu receptæ, uel factum narrant, uel futurum promittunt, totaq; fiducia præsentis ac futuræ uitæ constituitur in deo. Quot autem myriades sunt inter Christiani nominis professores, qui diffidunt aut certe dubitant de resurrectione corporū, quidam etiam

de immor-

de immortalitate animarū? Maximam autem partem hominum, præsertim eorum, qui præminēt honoribus ac dignitatibus, uidemus ita uiuere, ut aut non uideantur credere scripturæ sacræ, aut de ea non cogitare. Qui si se subinde ac serio examinarent, deprehenderent sese procul abesse ab officio Christiani. Atqui hic est fons omnium criminum. Et hac in parte fuisse negligentē, hoc ipsum graue crimen est. Qua de re uulgus ferè nihil attingit, satis esse credens, si recenseat ebrietates, adulteria, & furta. Iam charitas ad duo se porrigit, ad deū, & proximum. Hic occurrunt tres personæ, pater, filius, & spiritus sanctus, unus deus, qui est super omnia uisibilia & inuisibilia diligendus. Minus autem hunc diligit, qui diffidit promissis, qui præcepta negligit, qui quicquam illi uel æquat, uel præponit, hoc est, qui uitam suam chariorem habeat quàm illum, quiq; minus metuat illum offendere, quàm mori uel milies. Persona proximi late patet. Hic considerandū erit, an præstiterimus quod debemus uxoribus, parētibus, liberis, præceptoribus, discipulis, pastoribus, principi, magistratui, cognatis, amicis, ac benemeritis, breuiter omnibus Christianis. Quin & sibi quisq; proximus est, & nemo grauius leditur quàm à seipso. Lesisti samam proximi, confitere, Sed effutisti tuum ipsius pro-

Charitas.



EXOMOLOGESIS PER

Memorie
ratio.

brum, uel temulentia, uel leuitate lingua, deplora,
lesiſti proximum. Per hæc omnia circũferenti cogitationem, facile succurret, ſi quid admiſſum erit
penitentiã dignum. Porro memoriã adiuuabit, ſi recolat ſecum, ubi interea locorum uiixerit, quibus in negocijs uerſatus ſit, & apud quos uiixerit. Sic enim aliud ex alio ueniet in mentem. Sunt qui ex ſeſe petant conſitendi locos. Nam omne peccatum aut animo, aut aliquo quinq; ſenſuum committitur. Ad animum pertinet fides & charitas in deum ac proximum, atq; his contraria uitia, præſertim illa ſpiritualia, liuor, odium, ulciſcendi libido, ſuperbia, hypocriſis, maleuolentia. Quamquam autem omne crimen ex fonte cordis proficiſcitur, tamẽ quæ ad luxum, libidinem, uiolentiam, contumeliã pertinent, ad ſenſus & membra corporis referuntur. Multa peccant oculi, multa aures, multa uenter & gula, multa manus, ſed omnium plurima lingua. Quicquid enim ab omnibus membris uarie geritur, hoc illa ſola peccat. Hæc blaſphemias effundit in deum, hæc maledicit proximo, hæc dirimit amabilem pacem, & excitat furem bellum, hæc conciliat turpes amores, & diſtrahit ſanctas amicitias, hæc adulatione, obſectatione, libidinofis fabulis inficit puros animos, hæc ſine gladijs & uenenis iugulat fratrem & ami-

ERASMV M ROTEROD.

cum. Quid multis? Hæc hæreſes docet, & ex Chriſtianiſ facit antichriſtos. Hæc arbitror ſufficere laicis ad examinationem conſcientiæ, ſi modo cognoscant ſymbolum Apoſtolicum, & ſummam Euangelicæ doctrine. Iam ut his, quæ copioſiſſime tradita ſunt à Theologiſ de circunſtantijs, omiſſione, & reſtitutione, nonnihil adijciam admonendi potius quàm docendi gratia, Peccant, qui quo cognoscant ſocios conſitentis, de his circunſtantijs percontantur, unde perſonæ quoq; poſſint agnoſci. Nullus autem debet aliorum commiſſa proderẽ ſacerdoti, ſi quo pacto uitari poſſit: nam aliquoties uitari non poteſt, quin proſas perſonam: ueluti ſi qua cognita ſuit à patre, aut ſi quis principem inſtigauit ad bellum iniuſtum. Hic ſuadent querendum ſacerdotem, cui perſona utraque ſit ignota, aut certe ea quam prodi nolis. Rurſus in peccatis quæ libidine committuntur, quidam libidinoſa quadam curioſitate percontantur quæ non oportet. Nam ut qui rem habuit cum muliere, reſte addit, an cum uxore aliena commiſerit adulterium, an cum ſacra uirgine inceſtum, an cum proſtibus ſcortationem, an cum cœlibe ſtuprum, an cū uirgine raptū, ita nõ eſt neceſſe referre omnes eodẽndi formas, quæ peccati ſpeciem non mutant.

Verum hic frequenter omittunt circumstantias magis ad rem pertinentes, quam uulgares istas. Distinguant adulterium à stupro simplici, sed frequenter ex circumstantijs stuprum est multo capitalius adulterio. Leuius enim peccat, qui casu per occasionem incidit in adulterium, quam qui probam ac simplicem uirginem, ex probis prognatam, destinatam honesto matrimonio, maliciosus artibus diu sollicitatam tandem uitiat, ac deinde iactato etiam facinore reddit infamem. Item leuius peccat, qui rem casu repertam in loco sacro, clam tollit quam egeat, quam qui citra necessitatem inopie noctu cum ferro ingressus domum alienam, compilat scrima profanum: aut qui pauperem spoliat, cui uxor cum multis liberis egre alebatur. Neque enim spectandum est tantum tempus, locus, et persona, uerum etiam animi malicia, tentationis magnitudo: deinde ad quam multos unius peccati noxa perueniat, ueluti si quis occidat uirum, à cuius consilij pendeat tota res publica, eodem facinore lesit multos.

Porro peccatum omissionis atque etiam transgressionis, magna pars hominum estimat ex constitutionibus hominum: uelut si quis die dominico non audierit sacrum, aut in die Veneris uesceretur carnibus. At grauiores sunt omissiones, quae aduersantur preceptis diuinis. Veluti si quis nactus occasi-

sionem iuuandi proximi, neglexit. Item grauius peccat, qui inuidet proximo, quam qui non temperat ab esu carnum die Veneris. Grauior est autem omissio, si praetermissum officium coniunctum est cum magno proximi malo. Occidit enim qui proximum de uita periclitantem, quum liceat, non seruat. Rursum quum in locum omisso officij succedit malicia. Dies autem dominicus, ut exempli causa dicam, in hoc datus est, ut homo per otium examinet conscientiam suam, seque deo reconciliet, ut pijs contemplationibus, ut precationibus, ut audiendis concionibus, ut sanctis colloquijs aut lectionibus excitet charitatem in deum et proximum. Hic bis peccant, qui totum diem ineptis lusibus, scortis, temulentijs, obscenis fabulis, aut rixis etiam ac pugnis transmittunt.

Hoc peccato potissimum peccant, qui praeminent autoritate aut dignitate: uelut principes, episcopi, parochi, magistratus, patres familias. Nam hi, quae admodum multorum malo peccant, ita multorum malo cessant in officio. Non enim est satis pontifici, si ipse non excitet bella inter principes, uerum criminis loco deputabitur, nisi pro uirili studuit orta bella componere. Ita principi imputabitur, non solum si ipse spoliet aut opprimat rempublicam, uerum etiam si magistratus iniquos, aut alioquin

EXOMOLOGESIS PER

oppressores publicæ libertatis non excluderit, quæ illi sit in manu. Tam duplex peccatum erit, si sciens ac prudens, uel pecunia, uel alio quopiam affectu corruptus, magistratum commiserit improbo. Ita his peccat episcopus, si non solū ipse nō uigilat, ut gregē reddat meliorē, uerū etiam male docēdo, aut peruerse uiuēdo reddat corruptiorē. Hæc quæ ita sint, nō oportet principē aut episcopū ociosū aut dormitabundū esse, sed ad omnē occasionem uigilare, ut proficit. Quamquā idem singulis etiam priuatim curandum est, ut si possint, obiecta occasione proficiant, diues opibus, doctus autoritate, eloquens facundia, senex reuerentia, gratiosus fauore, iuuenis industria. Iuuenes cōfitentur pugnam, aut scortationem admissam, & silent quod tantum optimæ etatis sine fructu passi sunt elabi, quum esset occasio discendi, quæ in omnem uitam erant usui futura. In his itaque sepe deprehendas præpostera iudicia, tum confitentium, tum audientium. Princeps si confiteatur sua manu occisum hominem, graue quidem crimen confitetur. Decet enim principis uitam undequaq; inculpata esse. At idem non confitetur ex bello per ambitionem aut iram excitato, tot innoxios iugulari, tot immerentes exui bonis, denique tot non referenda facinora committi? Confitetur si fortē præter ius facultates

ERASMV M ROTEROD.

cultates alicuius usurpauit, at nō confitetur, quod sciens ac prudēs uendit præfecturam fisci, hominī palām rapaci & iniquo, per quem scit innumeros esse spoliandos? Hic considerandum est, quod sit cuique proprium officium, atque hinc estimandum peccatum omissionis. Peculiare munus episcopi est, doctrina sacra pascere gregem. Atqui nec pascit, nec aduigilat ut pastores habeat idoneos, sed ob questum aut fauorem committit indignis curandas animas. Id quum non confiteatur, confitetur fortasse de scorto, aut de prætermisissis precibus uespertinis. Itadē principis propriū officium est, curare ne cui fiat iniuria, tueri libertatē ac tranquillitatē publicā. At hic silēs de tā multis tamq; atrocibus, quæ uel ipsius iussu, uel certe negligētia committuntur, cōfitetur aliquo die nō auditiū sacrū, aut omisissas preces horarias. Atqui ista non erant peculiaria principum peccata. Tam enim hoc irrepserit in aulas quorūdā principū, ut singulis diebus pererent preces sacerdotū. Atq; interim tuti sunt ab interpellatoribus. Quis enī ausit interpellare principē precantē? Non damno religionē in principe, si modo in his sita est religio: sed dāno, si his rebus freti, negligūt ea quæ peculiariter ad ipsorū munus pertinebant. Sunt tot uiduæ ac pupilli, qui opprimuntur præter ius: sunt tot tennes, qui indi-

gna patitur. Non indignatur deus principi si ob
 huiusmodi causas, patitur interpellari preces aut
 etiam sacra sua. Itaq; prima cura debet esse sacer
 dotis, ut sciat in quo statu uitæ sit, qui confitetur.
 Quoniam autem confitens per sacerdotem deo lo
 quitur, ut à quibusdam nõ inepte dictum est, oport
 et esse recta iudicia, nimirum apud deum, qui ex
 affectibus animorum æstimat omnia. Nunc pleriq;
 quæ carnis sunt ac ceremoniarum, plurimi faciunt:
 quæ spiritus, minimi. Rursus quæ ab hominibus
 sunt instituta, magni faciunt: quæ à deo precepta
 sunt, negligunt. Quis enim non execretur, si sacer
 dos incedat non raso uertice? At nullus execratur
 si ebrium ac pugnantem deprehendat in lupanari?
 Quis non abominatur monachum, si laicam ueste
 sumat? At pro ludo habetur, si monachus in cucul
 la manens, scortatur, inebriatur, subuertit domos
 alienas, magicas artes exercet? Horribile facinus,
 si sacerdos non icuinus sacrificet, aut dixerit
 preces matutinas: at leue ducitur, si sacerdos non
 reconciliato fratre quem læsit, accedat ad sacram
 mensam. Reddatur sanè causa, quæ homines ea,
 quæ leuiora sunt grauius puniãt, certe in confessio
 ne debent esse recta iudicia.

Iam ipse sermonis cursus perduxit nos ad men
 tionem restitutionis. De qua nõ profiteor me quicquam

quam docturum noui. Tantum admonebo, in quo
 pleriq; peccant imperitiores. De restituenda pecu
 nia aut ueste, anxietas est inexplicabilis. Cæterum
 qui pestilentibus alloquijs corrumpit mentes simpli
 cium, qui uirulenta lingua ademit tranquillitatem
 animi, qui obrectationibus læsit famam alienam,
 qui peruersis cõsilijs incitarunt principes aut po
 pulum ad bella, leuiter cogitant de sarciendo, quod
 dedere dãni. At multis sua fama charior est quàm
 uita. At nusquam magis habebat locum restitutio.
 Sed in his, inquit, uix unquam potest fieri resti
 tutio, uerum hoc magis conandũ est, ut fiat: ac sem
 per dolendum, quod fieri non possit. Nunc aulicè
 quidam nugones existimant pulchre sartum pудо
 rem uirginis, quam corruerunt, & non raro cor
 ruptam etiam alijs prostituerunt, si tandem elo
 cent marito cum dotula, ac sibi propemodum debe
 ri præmiũ putant, quod puella maritũ qualẽ qualẽ
 inuenerit. Nupsit, sed qualicunq; quæ integra nus
 ptura erat honesto. Neq; enim nuptiæ famæ dede
 rus abolent. O bellam sarturam. Et tamẽ hac freti
 alias super alias corrumpere pergunt. Quanquã
 & in his, quæ nos faciunt tantũ pauperiores, quæ
 dam adeo passim ac uulgo fiunt, ut ob assuetudinẽ
 non uideantur esse furta. quo nomine male audiũt
 frẽ opifices, qui materiam tractant alienam, sed
 præcipue

precipue molitores et uestiarij, adeo ut prouerbio
 quoq; dicatur, unumqueng; in suo opificio furem
 esse. Sed inter hos grauiissime peccant, qui pocu-
 lenta & esculenta uitiant, ueluti qui uinũ uel aqua
 infusa, uel alumine, calce, sulphure, sale, alijsq; me-
 dicamentis corrumpunt: siquidem isti non solum
 suffurantur rem hominis, uerum etiam ledunt ua-
 letudinem, nec multum absunt à ueneficio. Quot
 enĩ morbos, quot mortes experimur ex uitiatís ui-
 nis inter homines nasci? Et hic tamẽ ludus habetur.
 Nec ulli libentius imponũt, quàm his, qui minime
 fraudandi erant. Postulat enim hoc fraterna char-
 ritas, ut his qui per inscitiam non possunt certo de
 merce iudicare, succurrat æquitas uendentis. Nunc
 autem quotũqueng; reperias, qui non ad omnem
 occasionem fraude uenatur lucellum? Itaq; quum
 mutuo laniatu uiuamus omnes, tamen nobis Chri-
 stiani uidemur. Et hæc quoniam in assuetudinẽ
 abiere, ne confitemur quidem; aut si confitemur,
 satis esse ducimus sacerdoti denarrasse quod geri-
 mus. Iam qui magis sunt obnoxij restitutionibus
 quàm præpotentes? Et tamen ad hos non uidetur
 pertinere restitutio. Confugitur ad compositi-
 nes. Non damno qualecunq; remedium. At uereor
 ne multas compositiones inter homines factas,
 deus non sit habiturus ratas. Finem faciam, si iria
 uerba

uerba adiecero de satisfactione. Ea duplex est, pu-
 blica, & priuata. In publica uelim hoc autorita-
 tis cõmitti sacerdoti, cuiusq; creditur autoritas
 audiendi confitentes, ut pro circũstantijs eam mo-
 derentur, aut etiam si res ita poscat, uertant in
 priuatam. Etenim si patres qui publicas satisfacti-
 ones instituerunt, hoc iuris faciunt episcopis ordi-
 narijs, ut pro qualitate personæ poenam iniuctam
 uel augeant uel minuant, quur non credatur eadẽ
 potestas his, qui in re lōge molestissima episcopo-
 rum uices gerunt? Quod si parum idonei sunt com-
 missæ prouinciæ, iam in episcopos culpa recidit.
 In pœnis uero quæ clanculum iniunguntur, sacer-
 dos imitari debet peritos medicos, qui non quod-
 uis pharmacũ præscribant cuiuis, sed quod p mor-
 bi ratione, proq; personæ qualitate cognouerint
 esse conducibilius, adeo ut in eodem etiam morbo
 aliud præscribant robusto, aliud imbecilli, aliud sic
 educato, aliud secus: imò nõnunq; eidẽ homini in eo-
 dẽ morbi genere aliud ministrat iuueni, aliud seni.
 Nũc bona pars sacerdotũ nihil aliud præscribit, q̃
 preculas aliquot. Lege, inquiunt, psalmũ: Misere-
 re mei deus, cum collecta: Deus cui proprium est.
 Præterea, Salue regina, cum collecta: Concede nos
 famulos tuos: præterea psalmũ De profundis pro
 defunctis, cum collecta: Fidelium deus. Nec tamen
 hæc

hæc damno, scio magnū esse meritum obedientiæ, rectius tamen faciunt, qui præscribunt preces peculiare remedium habentes aduersus malum, quo præcipue periclitari sentiunt confitentem. Quo in genere sunt certi psalmi cōmonstrati à maioribus, ueluti peculiariter apti ad hoc, aut illud impetrandum. Nec inutile fuerit nonnullis uice precum præscribere lectionem, quæ gignat odium peccati, quò laborat confitens: ueluti si quis laborat paganismo, aut Iudaismo, parumq; recte sentit de fide Christiana, uel imperitia, uel poetarū aut philosophorum lectione corruptus: iubeatur singulis diebus unam aut alteram horam ponere in Lactantio, in his libellis, quos Origenes, Tertullianus, Cyprianus, Chrysostomus, alijsue reliquerūt aduersus ethnicos, Iudæos, aut hereticos. Vix enim fieri potest, quin qui semel attente legerit libros Origenis aduersus Celsum, melius sentiat de Christi sanctissima doctrina. Sunt uarij libri sanctorum patrū de laude pudicitia, de uituperio obrectationis, de institutione monachorum & clericorum, de seruanda uiduitate, de officio episcoporum, de officio principis, de sanctitate matrimonij, de concordia, deq; cæteris innumeris uel uirtutibus uel uitijs, ex quibus unicuiq; præscribenda est lectio, quæ maxime mederi possit uitio quo tenetur confessus. Is interim

interim admonendus est, ut legat attente, cū synce ro uoto corrigēda uite. Quin in totū adolescentibus, qui ferè ob otium periclitantur, expediet studij labores certos præscribere. Nec admodū probo, qui teneræ adhuc ætati, quæ suam habet lasciuia, præscribunt ieiunia, aut uigilias, alijsue labores, quæ ualetudinem tradunt imbecillem etatē grandiori. Prima ætas rectius, reuerētia maiorū, & honestis occupationibus emendatur. Diuitibus recte præscribitur liberalitas in pauperes, sed hos admonēdos censeo, ne benignitatem suam male collocent. Non est improbandum, si quis instituat sacellum, altare, monasteriū, scholam, collegium, aut aliud simile, sanctissimæ tamē elemosynæ sūt, quæ præsentī necessitati pximorū succurrūt, atq; inter digitos dantis & accipientis uelut euanciscunt, & quarum gloria perit apud homines, sed tanto magis salua est apud deum. Porrò quorū ætas & corporis habitus hoc pascere uidebitur, ut eis sint præscribenda ieiunia, monendi sunt & illud, ut si res suppetat, quod comparcent abstinentia cibi, largiantur egentibus. Sunt qui præscribant longinquas peregrinationes, nimirum ut aliquis tectus lorica ferrea, emēdicato uiatico petat Romam: quod pœnæ genus nolim equidem improbare. Ceterū ista non recte præscribūtur hi, qui cōiuges ac liberos



EXOMOLOGESIS.

habet domi, quibus ipsorum absentia uel grauis erit uel piculosa. Hec habui, presul optime, qua prater ueterum traditiones de confessione uisum est admodum, quo nobis ea sit quam maxime frugifera. Quae si cui uidetur cum periculo coniuncta, cogitet quanto periculosius sit conscientiam impuram circumferre. Si molesta, cogitet ex amaro pharmaco, quanta sequatur animi tranquillitas. Et hoc attentius caueat ne iterum committat, ne tale catopodium sit sepius deuorandum. Sed ita confiteatur semel, ut nunquam in posterum opus sit confessio, ne, satisque sit semel apud hominem pudescere. Non facile relabetur in crimen, qui semel omnium criminum odium penitus animo conceperit. Sanctum propositum adiuuabit deus, si modo illi acceptum retulerimus quod contigit: et illius presidio potius quam nostris uiribus freti, conemur indies nobis ipsis fieri meliores, donec occurramus in uirum perfectum, in mensuram plenitudinis Iesu Christi.

EXOMOLOGESIOS SIVE
modi confitendi per Erasmus Roterodamum FINIS.

Erasmus

ERASMVVS ROT. MEL/
chiori uindalo Theologo S. D.



Commodum absolueram Paraphrasim in Acta apostolorum uindale charissime, nec post id temporis suspicabar quenquam exoriturum, qui me de paraphrasi foret interpellaturus. Et ecce redditur uelut ex insidijs tua epistola, quae mihi securitate hanc excuteret, nullum non mouens lapidem quo mihi persuaderet, ut quod in nouum testamentum fecissem, idem facerem in psalmos mysticos. Quam hic instructam argumentorum aciem adducis, quo me, si persuadere nequeas, uel cogas in tuam sententiam. Dum dextrum admoues cornu, quas non laudes in me congeris? Est autem imprimis uiolenta res, quam uis blanda, laudatio. Tu tamen ita laudas, ut contendas mihi persuadere, omnia esse uerissima, ut inficias ire non liceat. In sinistro cornu quanto pugnacius mecum agis? Obruas me telis argumentorum, a me coniecta, uel deflectis excepta clypeo, uel, quod est uiolentius, etiam in me retorques, pracludis omnes uias, ne qua pateat suffugium: denique ne quid ommitteres, urges, obtestaris, precibusque minas, ut ait ille, regaliter addis. Ostendis periculum,

IN PSALMVM TERTIVM

ne si quod petis recusaro, pereat mihi omnis super
rioris industrie gratia, imò ne pro captata gloria
referam ignominiam. Nimirum huc tendebat illa
laudis ex paraphrasibus, apud omne genus homi-
num parte mirabilis amplificatio, quo magis terre-
ret periculum amittēda tam egregia possessionis,
perinde quasi tyrannus dicat patri: Respice liber-
ros tuos quàm habeas elegantes, quàm pios, quàm
ingenuis artibus expolitos, quàm magnificæ spei
natos. Hos interimam ni mihi parueris. Ac ne mihi
sit integrum negare, quod flagitor, nisi uelim im-
pie difficilis uideri, facis totam ciuitatem Christia-
nam pedibus meis aduolutam, hoc magno consen-
su postulare. Itaq; futurum denunciās, ut ni parue-
ro, iure uidear omnibus ineptis deprecator, super-
bus excusator, callidus tergiuersator. Vbi nunc est
illa δεινωση Demosthenica? Vbi Periclis fulgu-
ra ac tonitrua? Frigere iacereq; uideantur omnia,
si cum huius dictionis uehementia conferas. At qui
isthuc mi Melchior non est suadere sed cogere.
Quis autem crediturus erat Melchiorem in diale-
cticis, ac philosophicis argutijs penè detritum tan-
tum tenere rhetorices? Ego uero mi Viandale, si
hoc atatis, si hac ualetudine, si his exulceratissimis
temporibus, quibus nihil possis tuto scribere, rudem
ac missionem flagitarem, non dicam à paraphra-
sit us,

PARAPH. ERASMI ROT.

sibus, sed in totum ab omni scribendi munere, nul-
lis aequis uideri possim id, uel impudenter poscere,
uel imprudenter sumere. At tamen quum planè
uideam hoc argumentum prorsus esse intractabi-
le paraphrastæ, tamen ne post hanc tam uehemen-
tem, tamq; minacem epistolam succedat altera ui-
olentior, in tertio psalmo specimen dedi, quàm fru-
stra sit hic sudaturus quisquis tentauerit. Etenim
quum in hoc psalmo tam breui, tot statim occurrāt
scrupuli de inuerso historiae ordine, nam multi ar-
gumentum habent iuxta temporum rationem, prius
historia Absalonis David patrem impetentis bello:
De interiecto Sela. Deinde an totus hic psalmus
accommodari possit personæ David, quod Hiero-
nymus non negat, docens competere personæ Da-
uid Christi, & per hunc omnium sanctorū, Augu-
stinus reclamationat. Quid paraphrastes dicit de titulo,
quid de uarietate sensus, qui sepe triplex est, quum
non liceat personam semel susceptam deponere?
Et tamē in uno psalmo conatus gustum exhibebo,
ut intelligas mihi morem gerendi uobis uoluntatē
non defuisse. Quod abs te postulabam, ut aliquid
opellæ sumeres in demonstrandis corruptelis istius
dialecticis ac philosophiæ, quæ nunc in scholis ma-
leste simul ac dispendiose traditur pueris, & ali-
quam docendi rationem indicares hac commodio

IN PSALMUM TERTIVM

rem, ideo feci quod uideam multa bene nata inge-
 nia, ab utilissimis disciplinis abhorreere, ob traditio-
 nis sordes, & ineptiam. Quin in plerisq; gymnasijs, tam
 desierunt eiusmodi discipline prelegi, unã
 cum ipsa Theologia. Atq; interim frigent etiã lin-
 guæ ac bonæ literæ. Tantũ rixosis alterationibus,
 & amarulentis libellis ætas teritur. Huic tanto ma-
 lo nemo te melius poterat succurrere, qui tot annos
 in ista palestra uersatus sis, nec mediocri cum lau-
 de. Inibis gratiam utrinq;. Nam hi qui præter illas
 disciplinas utcunq; traditas nihil didicerunt, mal-
 lēt aliter prælegi in scholis, quàm prorsus intermo-
 ri. Et iuuentus auida melioris literaturæ, fatebitur
 se tibi debere, qui uiam commostraris commodio-
 rem. Optimo Meccenati tuo, cū cãdidissimo soda-
 litio, plurimam ex me salutem renūciabis. Quo no-
 mine tibi non mediocriter gratulor. Quoniam au-
 tem colloquiorum meministi, subit animo mirari,
 quàm omnibus in rebus dominetur fortuna. Quid
 hoc argumento nugaciuss? Et tamen uix credas in
 quot exemplariorum milia propagatum, nondum
 expleat empturientium auiditatem. Hoc anno rur-
 sus prodit aliqua coronide dilatatum. Sic in amico-
 rum gratiam ineptio. Quanquã sunt graues The-
 plogi, qui prædicent in illis nugis res agi scrias.
 Spongiam meam nunquam ita mihi prædicabis,
 quin

PARAPH. ERASMI ROT.

quin oderim, indignans his, qui miserũ huc perpe-
 lerunt. Adeo leua sunt quorundam iudicia. Perijt
 ille nondum, ut opinor, perlecta Spongia mea. Nũc
 ad psalmum accingar.

Dñe qd multiplicati sunt, q tribulãt me.
 Domine deus, qui nutu potes quicquid uis, & cui-
 us uoluntati nemo potest resistere, cuius consiliũ
 inscrutabile est, etiam angelis, qui nos ex omnibus
 gentibus delegisti, ut essemus populus peculiari-
 ter tuus, quum dominus sis omnium, per quem con-
 dita sunt omnia, qui populum hunc iuxta mundũ
 humilem ac pusillum, unigeniti filij tui sanguine ti-
 bi uindicasti, quem à mundo semotum è tuis unius
 præsidij pendere uoluisti, audi quaeso querimo-
 nias tuorum. Vna uox, idem clamor est omnium,
 quia communis est omnium calamitas, propterea
 quod cum affligitur unum membrum, simul affli-
 gantur omnia membra. Non enim habemus in cui-
 us sinum effundamus animi nostri curas, nisi te-
 deum unicum, in quo salutis nostræ præsidia col-
 locata sunt omnia: non habemus alium cuius au-
 ritibus opploremus: non habemus alium ad cuius
 opem confugiamus. Quur ita tibi uisum est, ut hũc
 populum tibi charum, tot hostes conglomerati af-
 figant unum, tot potentes imbecillem, tot armati
 inermem? Sic nimirum & olim Cain, in quo tum

IN PSALMVM TERTIVM

erant agmina gentium impiarum, coortus est in fratrem suum Abel, in quo tum erat omnis ecclesia tuo fidentium presidio. Statim inualuit deterior, & oppressit innocentem non reluctantem. Sic impij reges afflixerunt seruos tuos prophetas. Sic tota manus sacerdotum, phariseorum, scribarum, seniorum, Herodis, Pilati, deniq; & promiscuæ multitudinis, uelut coniurata aduersus unicum filium tuum Iesum, oppressit illum. Et quod in hoc exhibitum est, prius fuerat adumbratum in Dauid famulo tuo tibi charo, in quem atrocissimam seditionem mouit Absalon. Dauid rex erat Israëliticæ gentis, Christus rex Iudeorum, hoc est omnium profitentium nomen tuum. Absalon forma gloria ferox, & cesariæ luxuria superbus, sceleratis consilijs molitus est exitium Dauid, quo sibi regnum eius uindicaret. Ita populus Iudaicus, cuius typum gerebat Absalon, sibi placens ob gloriam legis à deo traditæ, ob progenitorem Abraham, ob prophetas, ob magnifica dei promissa, ob templum domini, & uisitimas, ob sacerdotum, ob scribarum & phariseorum autoritatē, ob ceremonias mirificam religionis speciem præ se ferentes, totis uiribus coortus est aduersus regem Iudeorum. Nec defuit huic suus Archiophel, qui quum prius fuisset ab intimis consilijs Dauid, mox defecit ad Absalonem, ostēdens illi uiam, qua

PARAPH. ERASMI ROT.

am, qua solo Dauid extincto, populum uniuersum pelliceret ad sese. Iudas enim è discipulo factus est proditor domini sui. Non habet decorem hunc corporis Dauid, non habet cesariem, non habet blandiloquentiam insidiosam. Mulierum sunt ista uel ornamenta, uel presidia: uigore spiritus habet Dauid noster, qui delectat animos masculos, qui salutaria quærunt potius quàm in speciem blanda, ac fortia magis quàm speciosa. Dauid cōsulens incolumitati populi potius quàm suæ, pedes egreditur auitatem; Absalon instructus curribus & equitum copijs, admouet minacem exercitum. Christus uero non semel subduxit sese furori Iudeorum, nunc lapidationem, nunc præcipationem machinatum. Gestiūt ac ferociunt qui sequuntur Absalonem: lugent ac flent qui comitantur Dauid fugitiuum. Sic pugnat & hodie mundus aduersus Christum & huic adherentes. Sic ferocit aduersus euāgelij professores. Regnat Absalon in Hierusalē, atq; in regia aliena tyrānidē exercet. Dauid cū suis fugitat ac latitat. Agnosamus in his pater celestis imaginē eorū, quæ tua uolūtate gesta sunt in filio tuo Iesu, atq; huius discipulis. In mundo erat filius tuus, & mundus per illum factus est, quæadmodū Hierosolymam condiderat Dauid, & mundus eum non cognouit, sed eiectus est, ut demigraret ad deserta gentium.



IN PSALMVM TERTIVM

gentium. *Quin* & in hoc respondet figura rei gestæ, quod David fugiēs, transijt torrētem Cedron, quem ante mortem transijt & David noster Iesus. Atq; interim imminente supremo periculo, David consulit periclitantibus, ne ueniant in commune periculum. Sic filius tuus: Si me queritis, finite hos abire. David iubet reportari arcam in ciuitatem Hierosolymam, & ex oraculo domini rē uult geri, non humanis præsidij, dicens: Si dixerit dominus, mihi non places, præsto sum, faciat quod bonū est coram ipso. Ego uadā quō uado. Filius tuus uerus rex noster. Fiat, inquit, uoluntas tua non mea. Et filius hominis uadit sicut scriptum est de eo. David nudis pedibus, & operto capite ascendit montem oliuarum, ut illic oraret: Christus nudis pedibus ascendit in locum Golgoltha, conscendit cacumen crucis, atq; illic deprecatus est patrem pro salute totius populi. Semei reliquiæ Saul, spirans adhuc uetus odium in David, acerba conuicia iaculatur in eum, quæ quidem in magnis malis acerbissima calamitatis pars. Audit David ciectus, fugitiuus, latitans ac destitutus: Egredere egredere uir sanguinū & uir Belial. Reddidit tibi dominus uersum sanguinem domus Saul, quoniam inuasisti regnum pro eo, & ecce premunt te mala tua. Nec contentus maledictis, lapides quoq; coniciebat in

PARAPH. ERASMI ROT.

bat in David, & in famulos eius. Audiuit & David noster, uerus ac sempiternus populi tui rex: Samaritanus es & demonium habes, & in nomine Beelzebub eijcis demonia. Audierunt illius amici: In peccatis natus es totus, & tu doces nos. Itē: Tu ex illis es. Nam & Galileus es. Hæc uerba magis formidanda, quàm ulli lapides, tum cōijciebantur in discipulos Iesu, *Quin* idem in cruce pendēs audiebat à militibus, scribis & Phariseis conuicia uel ipsa cruce acerbiora. Vah qui destruis templū, si filius dei est, descendat nunc. Probra Semei toleranter tulit David, nec passus est Absai filiū Scruiæ parare ultionem. Rex noster cobibuit Petrum molientem uindictam, & tanquam surdus non audiens obmutuit ad opprobria exprobrantium, atq; interim deprecatus est patrem ut illis ignosceret, quemadmodum & David desleuit interitum Absalonis, dicens: Fili mi Absalon, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te? Quod optauit David pro salute unius, hoc Christus prestitit pro toto populo Iudaico. Ac Paulus imitator Christi, cupit anathema fieri pro Iudæis, qui ipsum pertinacibus odijs persequabantur. Postremo respondent rerū exitus. David dei præsidio restitutus in regnum, hymnum canit liberatori suo, dicens: Propterea confitebor tibi domine in gentibus, & nomini tuo cantabo. Magnificans



IN PSALMVM TERTIVM

gnificans salutes regis sui, & faciens misericordiam Christo suo Dauid, & semini eius in sempiternum. Noster item Dauid, per mortem suam de uictis hostibus omnibus, & in uniuersum orbem terrarum parato regno, dicit: Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra. Architophel reuersus in edicis suas laqueo suspendit seipsum. Iudas Iscariotes reuersus in domum infelicis conscientiae simili fato periit. Porro quum uidemus populum Iudaicum pertinaciter affixum ceremonijs legis Mosaicae, sic ut nec caelo potatur, alienus a Christo: nec terra, profligatus undiq; & oppressus, nonne uidemus Absalonem suis capillis inuolutum, pendentem ab arbore? Exitio fuit, in quo gloriabatur. Agnosci-
mus domine, nihil hic geri casu fortuitoue, sed omnia tuo sempiterno consilio temperari: quod designatum erat in rege Dauid, uidimus expressum in rege nostrae Hierosolymae, quae est ecclesia: & quod in capite gestum est, agnosci-
mus & in corpore fieri. Sunt & semper erunt Absalones, titulis, autoritate, dignitate, specie religionis sibi placetes ac feroces: non desunt Architopheles, & Semei Saulis posteritas: non desunt Anna & Caiaphae, non scribae & pharisaei, non primores populi, non ingratum uulgus & multitudo ad principum auram mobilis: non Herodes ac Pilati, non cohors impia,
que

PARAPH. ERASMI ROT.

quae Christum tuum persequatur & affligat in membris ipsius. Sic tuae sapientiae uisum est explorare tuorum erga te fiduciam, sic nos docere, ne cuius opem nitamur praeterquam tua. Sed inuicem undique uallati malis quamdiu uersamur in hoc corpore sculo, non possumus non ingemiscere, non suspirare, non deplorare praesentem sortem, sed apud te duntaxat, in quo uno spem omnem nostram fiximus. Alijs aliae res in aduersis adferunt, uel auxilium, uel solatium, opes, forma, uires, genus, claritudo, dignitas, potentia, uersutia, copia militares, equi, currus, classes, bombardae, foedera regum, conspiratio principum, sapientia huius mundi, spes uindictae, deliciae, uoluptates quae molestiam utcuq; leniunt. Quidam etiam ad magicos ac sortilegos confugiunt. Nos autem ex filio tuo domino nostro didicimus, in nihilo horum collocare spem nostram, ne tuo destituamur auxilio, qui totam uictoriae gloriam tibi uis acceptam ferri. Tibi uni gratias agere didicimus, si quid acciderit boni: apud te nostras depromere querimonias, si quid inciderit triste. Vnius ferocis hostis impetum sustinere difficile est. Nunc uides quam multi circumuallent unum ac pu-

Multis insurgunt aduersum me.

sum gregem tuum. Quot exercitibus, quot machinis hunc oppugnat hic uiolentus mundus, nec cessant unquam impij spiritus igneis iaculis e sublimi impetentes

IN PSALMVM TERTIVM

impetētes animas nostras, & præter hæc omnia cir-
 cunferimus hostem domesticum, carnem nostram
 assidue rebellantem spiritui. Hi nimirum hostes tā
 multi semper in procinctu stantes, nō sinunt tuum
 populum esse securum: obambulant enim caulas
 tuas multi lupi graues, multiq; leones rugientes,
 quærentes quod deuorent. Sed tum insurgunt maxi-
 me formidabiles, quoties totis uiribus cooriuntur
 in nos: illi sublimes & excelsi, nos humiles: illi ar-
 mati, nos inermes, illi uictores, nos abiecti. Eijci-
 mur in exilium, rapimur in carceres, exuimur bo-
 nis, affligimur, cædimur, infamamur, damna-
 mur, occidimur. Et si desunt homines, qui seuiant
 in populum tuum, non desunt hostes hoc periculo-
 siores, quod inuisibiles. Hinc adoritur nos spiri-
 tus libidinis, hinc iracundiæ, hinc ambitionis, hinc
 luxus, hinc auaritiæ. Neque raro quo citius fallat
 nos hostis callidus, uertit sese in angelum lucis.
 Quis autem enumerare possit quā multi quot
 arietibus impetant uos, quot artibus insidientur no-
 bis, quanta ferocia sublimes in nos irruant conglome-
 ratī, uelut obruturi populum tuum domine. In
 malis autem quamlibet grauibus, præcipuum leui-
 men est, spes finiendæ calamitatis & afflictionis
 in letitiam commutandæ, quemadmodum qui gra-
 ui tempestate iactantur, spe successuræ serenita-
 tis su-

Insurgunt.

Multi dicūt
 animo meo.

PARAPH. ERASMI ROT.

tis sustinent animū. Et hoc extremū solatiū nobis
 hostes conantur eripere. Multi enim insultant ani-
 mæ nostræ dicentes, quod non sit illi spes in deo.
 Vnde autem populo tuo speranda salus, si tu ser-
 uare uel nolis, uel non possis? Tolerabile conuiciū
 est, quod ingeritur auribus corporis. Hoc acerbis-
 simum conuicium ingerunt animæ nostræ. Interi-
 tus corporis ferri poterat, animæ iacturam quis fe-
 rat? Sed ante nos audiuit simile filius tuus unige-
 nitus, aduersum quem constituerunt uerbū iniquū,
 dicentes: nunquid qui dormit, adiciat ut resurgat?
 Audiuit & in cruce pendens: Sperauit in deo, libe-
 ret eum nunc si uult eum. Leue probrum erat: Sa-
 maritanus es, & demonium habes. Nihil autem
 crudelius quā ad extremam redactō calami-
 tatē insultare, ac desperationem salutis ingerere?
 Obtura domine aures animæ nostræ, ne ta-
 lem uocem admittat, non est tibi salus in deo.
 Et tamen hanc amarissimam uocem multi nobis
 ingerunt. Dicunt enim nobis huius mundi culto-
 res, perierunt quicumque dormierunt in Christo.
 Clamant irrisores sacramentorum ecclesiæ: Non
 abluit aquula sordes animi. Nec uerbis purgan-
 tur, quæ factō commissa sunt. Clamant Here-
 tici, non est spes relapsis post baptismum. Ali-
 cunde clamant philosophi, nullum esse deum.
 Rursus

IN PSALMUM TERTIVM

Rursus aliunde, deo nullam esse curam rerum humanarum, & nunc comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Aliunde clamant Sadducei, non superesse animas ab obitu corporis, sed totum hominem perire morte. Hi quid aliud nobis obgannunt, quam nos frustra salutis spem posuisse in te deo nostro? Quum enim hic mortificemur propter te tota die, facti uelut oves mactationi destinatae, si ultra uitam hanc non porrigitur spes nostra, nonne uere miserabiliores sumus omnibus hominibus? Nonne uere perimus irreparabiliter, quum ab iniuriis occidimur? Tales uoces audiuit pius ille Tobias ab amicis & uxore sua. Audiuit & sanctus Iob ab uxore sua: Benedic deo, & morere. Neque uero desunt intus in nobis, qui cominus animae nostrae tales uoces ingerant, spem adimentes ac desperationem incutientes, & has amarissimas uoces pro nobis audiuit filius tuus Iesus, quum erat in cruce: Deus meus, deus meus, quare me deseruisti? Longe à salute mea uerba delictorum meorum. Habent peccata sermones suos, sed diuersos. Quae pelliciunt animam nostram, blandissime loquuntur illi. Quam erat blanda uox ambitionis, quae dicebat: non moriemini, sed eritis similes dijs scientes bonum & malum. Sic loquitur impudicitia. Quid dulcius? Sic luxus. Quid suauius? Sic regnandi insania.

PARAPH. ERAS. ROT.

saniam. Quid splendidius? Sic auaricia. Quid felicius? Verum postquam hausit dulce uenenum, mutata lingua, quam amara uerba loquuntur animae. Maior est iniquitas tua, quam ut ueniā merearis. Deus iustus est. Nihil expecta praeter supplicium. Haec uerba quum sint acerbissima, si proferatur ab uno crimine, quis ferat, quoties tot adulteria, tot rapinae, tot homicidia, tot furta, simul reclamant animae nostrae. Non est tibi salus in deo tuo? O duras uoces & amaras. Quod si hic nihil aliud contemplerur, quam magnitudinem ac multitudinem criminum, quae commisitimus, quam uires nostras, quam merita nostra, quam diuinam iusticiam, quid superest nisi desperatio? Sed aliud loquitur animae nostrae tua misericordia, quae uincit ac superat iudiciū. Iustitia tua sinit ad extremū desperationis uenire, sed immensa tua misericordia facit simul cū tēratione prouentū, ut possimus sustinere. In omnibus enim tribulationes patimur, sed non angustiāmur, aporiamur, sed non destituimur, persecutionem patimur, sed non derelinquimur, humiliāmur, sed non confundimur, deijcimur, sed non perimus. Quasi morientes & ecce uiuimus, ut castigati & non mortificati. Quantū uis nobis desperationē suadet multitudo affligentium nos paucos, ferocia insurgentium in nos humiles, amarulentia nobis ceu uictis

2. Cor. 4.

Tu autē domine.

E ac de

IN PSALMVM TERTIVM

ac deplorata spei insultantium, tamen tu domine
 solus manum auxiliatricem porrigis aduersus tur-
 bam affligentium. Porrò perire non potest, quem
 tu tuendum suscepisti. Tu solus gloria nostra es
 aduersus superbiam conculcantium nos. Tu es qui
 erigis caput nostrum in spem uictoriae aduersus il-
 los, qui nobis sublimes ueluti uictores uictis insulta-
 bant. Si tu deus pro nobis, quis contra nos? Quis
 nos separabit à charitate filij tui Iesu? Num tribu-
 latio, num angustia, num fames, num nuditas, num
 periculū, num persecutio, num gladius? Certi su-
 mus, quod neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neque
 principatus, neq; uirtutes, neq; instantia, neq; futu-
 ra, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum,
 neq; creatura alia poterit nos separare à charita-
 te tua deus, quæ est in Christo Iesu domino nostro.
 Quicumq; enim sincero corde profitentur filium
 tuum, per illum liberantur ab omni tentationum
 procella. Quod in illo prestitisti, idem præstas in-
 membris illius. Quum aduersus illū fremerent gen-
 tes, & populi meditentur inania, quum adstitis-
 sent reges terræ, & principes cōuenissent in unū,
 quum uniuersi seuirent in unum ab omnibus desti-
 tutum, tu clypeo uirtutis tuæ protegebas illū. Quæ
 omnes superbi ludibrijs incesserent illum, cædentes
 arundine, impingentes colaphos & alapas, con-
 spuen-

PARAPH. ERASMI ROT.

spuentes faciem eius, ludibrij causa coronantes eū
 spinis, & sæptri uice tradentes arundinem, induen-
 tes schlamydem coccineam, & amarulenta scom-
 mata iaculantes in eum, deniq; inter malficos pen-
 dentem cōnuicijs incessentes, Quum modis omni-
 bus factus esset uermis & non homo, opprobrium
 hominum & abiectio plebis, tu solus aduersus o-
 mnem ignominiam mundi, fuisti illius gloria, etiā
 in ipsa morte, multis modis glorificans filium tuū.
 Deniq; quum iam sepulti quoq; nomen studerent
 abolere, tu exultasti caput illius, & dedisti illi no-
 men, quod excellit omne nomen, ut in nomine Iesū
 omne genu flectatur cœlestium, terrestriū, & infe-
 rorum. Afflictio capitis institutio nostra est. Eue-
 ctio capitis spes & gloria membrorum est. Ex no-
 bis imbecilles, per te sumus inuicti: ex nobis nihil
 habentes, de quo gloriemur, gloriamur in te, & in
 domino nostro Iesu Christo: ex nobis humiles &
 abiecti, per illum sublimes sumus, despicientes o-
 mnem satanæ potentiam. Scimus enim quod tu sic
 percutis, ut sanes, sic deiecis ut erigas, sic occidis
 ut uiuifices, sic obscuras ut glorifices. Libèter igitur
 & nos gloriabimur in afflictionibus, in deiectionibus,
 in ignominijs nostris, ut in te sit nostra cō-
 solatio, sit nostra sublimitas, sit nostra gloria. Post
 hac igitur populus tuus non audiet uoces insultan-
 tium

IN PSALMVM TERTIVM

tiū ac dicentium, nō est tibi salus in deo tuo, sed quoties ingruerit tempestas malorum, magna cū fiducia uoce nostra clamabimus ad te, & tu exaudies nos de monte sancto tuo. Habet synagoga uoces suas, quibus obstrepit auribus tuis. Ieiuno bis in sabbato, & decimas omnium bonorum do pauperibus, & non sum sicut ceteri homines. Alia uox est ecclesie, qua confitetur domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Valida uox est fidei, que nihil non impetrat à clemētia tua domine. Promisit filius tuus, capillus capitis uestri non peribit. Promisit idem: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Promisisti & tu deus: Clamabit ad me & exaudiam eū. Credimus promissis tuis, & fidei uoce clamamus: Tu qui fallere non potes, exaudias nos de monte sancto tuo. Synagoga clamat in templo manufacto, ac postulat exaudiri de propitiatorio. Nos uero, qui scimus tuam maiestatem non circumscribi loco, ex omnibus mundi regionibus clamamus ad te, certi quod è tua sublimitate, à qua nunquam recedis, exaudias nos pro tua bona uoluntate, etiā si uidearis non exaudire nos. Scis enim quid expediat nobis. Non tibi prescribimus auxilij modum, non tempus aut locum, tantū hoc confidimus tuā opem non defuturam populo in te confidenti. Clamauit

PARAPH. ERAS. ROT.

mauit ad te uoce sua pendens in cruce filius tuus, & exauditus est pro sua reuerentia. Commēdauit exclamans magna uoce, in manus tuas spiritum suum, & tu resuscitasti eum tertio die, quoniam ille tuo presidio fretus ac securus, uolens obdormire in morte, ac somnum cepit in sepulchro, ac mox experrectus est reuiuiscēdo, frustra iudeis sepulchrum obsidentibus, propterea, quod tu nunquā illum destitueris, nec deserueris animā illius apud inferos, ut mors illi dominaretur. Impij triumphū agebant, quod innocentem adegissent ad certam mortem, dicentes: non adijciet ut resurgat, sed tibi dormiebat, tibi quiescebat excitaturo, quando cūq; uolebas. Adoramus & exosculamur in capite nostro mysticam rerum imaginem, sperantes idē effecturam tuam bonitatem in membris, quod præstitit in capite. Qui morimur in fide Iesu Christi, quoniam cum certa spe uitæ melioris morimur, obdormiscimus potius quā morimur, & interim corpus ad cantum angeli reuicturum quiescit potius, quā mortuum est in sepulchro, iam liberum ab omni molestia dolorum ac laborum, quibus affligebatur, suo uero tēpore reuiuiscet, quin & animæ placida quiete fruuntur, donec receperint corporis queq; sui cōuberniū. Hac fiducia securi tū uiuimus, tum morimur scientes, quod siue uiuimus

Ego dormiui.

IN PSALMVM TERTIVM

siue morimur, tibi uiuimus ac morimur, quoniam
 & uiuentes & morientes tui sumus. Non perit au-
 tem, quicquid tuum est. Porro tui sunt, quicūq; per
 fidem Euangelicam insiti sunt in corpus unigeniti
 tui. Non est enim damnatio his, qui sunt in Christo
 Iesu. Etenim qui hic illius similitudinem exprimūt
 per poenitentiam mortui peccatis, per baptismū &
 abstinentiam malorum operum sepulti cū illo, qui
 felix sabbatum egit in monumento, resurgentes cū
 illo in uitae nouitatem, sic ut iam non uiuant cōcu-
 piscentię, sed iusticię, quem admodū Iesus Christus
 semel mortuus est pro peccatis nostris, ac uiuit in
 mortalem uitam, tibi largitori iusticię, olim reuiu-
 scent & ipsi in beatam immortalitatem. In his o-
 mnibus tua misericordia recipit ac protegit nos.
 Affligimur in hoc mūdo ac uelut occidimur, sed te
 liberatē respiramus, p poenitentiā mortificamur car-
 ne, sed tuo spiritu uiuificamur, obdormisat hoc cor-
 pusculū in morte, sed p te resuscitatur in resurrecti-
 one. Perfecta uictoria præcessit in capite nostro.
 Vicit mundū, uicit principem huius mundi, uicit
 mortem, uicit peccatum, uicit persequentium ras-
 biem, quoniam autem nobis hæc omnia uicit, nos
 quoque magnanimos, & intrepidōs aduersus hæc
 omnia reddit nostra erga Iesum filium tuum fi-
 ducia, gaudentesq; cū illo canimus Epinicion: Nō
 timebo milia populi circumdantis me. Vidimus
 unigenitū

Non timebo
 milia
 populi.

PARAPH. ERAS. ROT.

unigenitum tuum destitutum ac desperatum ab o-
 mnibus, etiam intimis amicis, te protegente trium-
 phantem de omnibus hostibus suis. Vidimus om-
 nnes tuos sanctos extrema passos in hoc mundo,
 neque quenquam tamen destitutum ope tua. Nos
 ipsi tot malis uallati usque ad desperationem sa-
 lutis, experti sumus tuum auxilium tum adesse ma-
 xime, quum in nobis minimum est præsidij. Quare
 posthac tua freti bonitate, tua uirtute animosi,
 non timemus multa milia populorum circunual-
 lantium nos. Fortior est tua uirtus ad protegen-
 dum, quàm omnium inimicorum copia ad oppri-
 mendum. Plus nobis cauet tua sapientia ad salutē,
 q̄ hostiū fraudulentia molitur ad perniciē. Plus ua-
 let tua bonitas tot modis nobis perspecta & explo-
 rata ad præstandā animo nostro fiducia, quàm ini-
 micorum omnū seuitia ad terrendū. Semper itaq;
 gratias agimus tibi benignissime deus, siue quum
 affligimur aduersitate, quo fiduciam erga te no-
 strā reddas spectatiōre, siue quū eripimur ac supe-
 ramus ad consolationē aliorū & gloriā tui nomi-
 nis. Ceterum quoniā q̄diu uersamur in hoc morta-
 li corpore, subinde expectāndus est hostiū insultus,
 donec prorsus absorpta morte, tuto possimus dice-
 re: Vbi est mors uictoria tua, ubi est mors stimulus
 tuus? ne relinquito nos uiribus nostris, sed quoties

IN PSALMVM TERTIVM

undiq; cingent nos agmina malorum, præfens exitium intentantium, tu domine deus noster exurge in auxilium pusilli gregis tui ut serues illum, & intelligat inimici nobis esse deum, cui curæ sumus, & cuius potestati nullus potest resistere. Agnoscimus multitudinem, potentiam ac seviciam hostium nostrorum, sed tamen aduersus hos tu nobis fiduciam præbuisi incolumitatis, quia deus noster es, in quo salutis spem collocauimus. Iam enim per filium tuum unicum Iesum, reddidisti nobis omnes aduersantes, uincibiles. Siquidem ille tolerantia uicit Iudeorum maliciam. Ille tentatus à satana superperauit illum. Ille uicit mundum à quo semper habitus est odio. Ille absorptus à morte ac redditus, fregit uires mortis. Ille descendens ad inferos contriuit tyrannidem principum huius mundi. Quoniam autem nobis uicit, iussit nos, quantūlibet imbecilles, in sua uictoria considerare. Confidite, inquit, quia ego uici mundum. Per filium itaque tu deus percussisti maxillam aduersantium populo tuo, ac dentes peccatorum contriuisi, ut impetere possint, deuorare ac deglutire non possint. Quoties Iudeorum peruersitas, principum crudelitas, philosophorum supercilium, rhetorum eloquentia, hereticorum pertinacia late diducto rictu parabat absorbere pusillum gregem tuum, dicens: Deglutiamus

PARAPH. ERAS. ROT.

eum sicut infernus uiuentē, & integrū quasi descendentem in lacum, sed tua sapientia sic pro nobis percussit maxillas illorum, ut quo magis illi seuirēt, hoc magis inualesceret sermo Euangelicus. Circumit & hodie noster ille aduersarius tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret, sed tu domine contriuisi dentes illius. Acuunt & hodie dentes suos in nos Iudæi, sed cōritos, sic, ut maledicere possint, mordere non possint. Acuunt & heretici, sed in uanum, te cuncta uertente in profectum ecclesiæ tuæ. Aperit tartarus os suum, ut absorbeat inuocantes nomen Iesu, sed frustra, quoniā ille dixit, nec portas inferorum præualituras aduersus fiduciam Euangelicā. Solida petra est Christus, & petra est, quisquis in Christo est: hanc contriti dentes commolere non possunt. Quemadmodum autem malæ bestię dentibus potissimum occidunt, ueluti leones & ursi, nonnulla & letale uenenum ferunt in dentibus: ita reperiuntur & homines, quorum dentes sunt illis arma & sagitte, & quorum lingua gladius acutus, & sub quorum labijs latet uenenum aspidis insanabile. Hęc nimirū est illa generatio, non ex deo profecta, sed ex diabolo, quæ iuxta testimonium Solomonis, pro dentibus habet gladios, & commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.

Quoniā tu percussisti omnes.



IN PSALMVM TERTIVM

minibus. Sed tu domine per Christum præstitisti quod olim tuo nomine promiserat prophetia: Deus conterit dentes eorum in ore ipsorum, malas leonum confringet dominus. Rursus alibi: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Quondam impium concilium frendebat dentibus in Stephanum famulum tuum, sed contritis. Non enim poterat resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur. Idem cæsis apostolis denunciaverunt, ne prædicarent nomen Iesu. Nimirum hoc erat stringere dentes in apostolos, sed audiunt: An magis obediendum sit hominibus quam deo, uos iudicet. Qui falsis criminibus impetunt innoxios, qui conuicijs incessunt pios, qui ad impietatem sollicitant simplices, dentes suos acuiunt in illos. Sic & olim satanas, dicens Christo: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me: dentes uenenatos acuit in illum, sed ille comminuit dentes illius, dicens: Scriptum est, dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruiet. Accusantes illum apud Annam & Caiapham, similiter & apud Pilatum, uarijs criminibus strinxerunt dentes suos in eum, quum aduersus illum uociferarentur: Tolle tolle, crucifige crucifige: dentes habebant pro iaculis, quibus illum occide-

re pot

PARAPH. ERASMI ROT.

re potuerunt, uincere non potuerunt. Quum aduersus pendentem, clamarent: Dixit se filium dei, descendat nunc de cruce: ueneno tinctis dentibus commordebant illum, sed domini patientia contriti sunt dentes illorum. Quir igitur metuamus illos, qui simili modo dentes suos contritos stringunt in ecclesiam tuam, dicentes: Non est salus ipsi in deo eius? Imò domini est salus, extra quem pereunt etiam, qui salui uidentur, & in quo salui sunt etiam, qui uidentur interire. Si dicerent, non est ulla spes salutis ex uobis, non ex naturæ uiribus, non ex lege Mosaica, non ex humana philosophia, non ex meritis hominum, fatemur, ac desponderemus animum. Nunc autem quoniam dicunt: non est salus in deo, magna fiducia respondemus illis: Domini est salus. Quir uos minitami exitium, qui nec perdere potestis quenquam nec seruare? Solus deus potest occiso corpore mittere animam in gehennam. Solus potest etiam ab ipsis inferis reuocare animam. Quir alij minantur exitium, qui sibi non possunt esse saluti? Hanc potestatem sibi uindicabat Pilatus: An nescis, inquit, quod habeo potestatem occidendi te, & rursus potestatem seruandi te? Quid aliud poterat Pilatus, quam occide-

re cor

Domini est salus.

IN PSALMVM TERTIVM

re corpus, nec hoc poterat, nisi tuo permisso, citius
 cuius uoluntatem ne passerulus quidem cedit in
 terram. Non est spes salutis in homine. Maledictus
 enim qui confidit in homine. Non est spes salutis
 in dijs gentium, non in principibus terræ, non in
 angelis, non in sanctis. Tu domine solus potes, quod
 per os prophete tui prædicas. Videte quod ego
 sum solus, et non est alius deus præter me. Ego oc
 cidam, et ego uiuere faciam: percutiam et ego
 sanabo, et non est qui de manu mea possit crueri.
 Qui sibi seruatores efficit uolunt, preceunt in æter
 num: qui in alio spem salutis collocant quam in te,
 alium deum sibi fingunt, quum non sit nisi unus
 deus, et idem ueræ salutis autor. Est enim falsa
 salus, quæ pertrahit in extremum exitium. Abne
 gata ueritate, quam nos docuit filius tuus, seruasse
 uitam corporis, nihilo secius periculo post interi
 turi, uera pernicies est. Cæterum quos tu seruans
 susceperis, hos nulla creatura potest perdere.
 Eam hoc tui muneris est domine deus, quæ tibi fi
 dimus, quod non aliunde pendemus, quam ex tua
 uoluntate, quod ex animo dicimus, domini est sa
 lus. Tu quemadmodum cœpisti, benedic populo
 tuo. Maledicant nobis hostes, modo tu bene dicas.
 Nihil moramur humanas benedictiones, quæ se
 ducunt corda simplicium, quum laudatur pecca

cor in

PARAPH. ERAS ROT.

cor in desiderijs anime sue, et iniquus benedici
 tur. Talibus benedictionibus tu maledicis. Sem
 per erunt qui conducant Balaam, ut maledicat po
 pulo tuo, sed filius tuus pronunciauit eos fore be
 atos, quibus maledixerint homines propter ipsum.
 Dauid patienter tulit maledicta Semei, nos etiam
 maledicentibus benedicimus, male precantibus be
 ne precamur, pro deuotentibus nos, oramus, filij
 tui et exemplum et doctrinam sequentes, ut tua
 benedictio semper foueat populum tuum. Da ut
 semper simus populus tuus, et cõfidimus non de
 futuram benedictionem tuam. Nos interim uicis
 sim benedicimus nomini sancto tuo, quod est bene
 dictum in omnia secula, donec audierimus illã ex
 tremam tuam benedictionem, ex ore benedicti fi
 lij tui Iesu: Venite benedicti patris mei, possidete
 regnum, quod uobis paratum est ab origine mun
 di. Habes specimen mi Viandale, sed extempora
 le. Si displicebit, nihil me fefellerit. Hoc expecta
 bam. Sed tamen interim uelis nolis, probabis obse
 quium meum. Bene uale, cum his qui syncriter
 amant dominum Iesum. Basileæ quinto Cal. Mart.
 An. A Christo nato. M. D. XXIIII.

atur, ut tuos sanctissimos conatus bene fortunare dignetur, sine cuius favore inanis est omnis conatus mortalium. Studij erga te mei ceu pignus quoddam nunc mitto Arnobium, qui tum forte erat in manibus, quum huc nūcius omnium letissimus adferretur, Adrianum sextum rerū gubernaculis admotum, uberius ac plenius idē declaraturus, ubi se dederit opportunitas. Mihi probe nota est, & meae conscientiae syncretitas, & tui ingenij prudens aequitas. Sed tamē quoniam uideo, quantum hoc seculo possunt male lingue, uisū est tuā sanctitatem aduersus harū uirulentiam ueluti antidoto quopiam praemunire, ut si quid delatū fuerit de Erasmo, aut plene reiiciat, aut si quid dubitabit, suspendat sententiā, donec meā acceperit defensionem. Nihil enim addubito, quin apud te iudicem aequissimum sim istorum calumnijs abunde responsurus. Hoc quum scirem te tua sponte facturum, tamen quorundam improbitas, qui nusquam non cessant, fecit, ut si non rogarem, certe submonerem. Haecenus in re Christiana animum prestiti dignum orthodoxo, eundē praestaturus usque ad extremum uitae diem. Si neutri parti causam meam probare poterō, certe Christo conscientiam hanc cōfido me probaturum. Sit hoc non ē tripode, quod aiunt, sed ex sinceri pectoris oraculo dictum. Huius epistolae breuitatem pensabit

S. P. N. ADRIANO SEXTO DE
signato Pontifici Erasmus Roterod. S. D.



lius hic beatissime pater, uniuersam rhetoricas suppellectilē in hoc depromeret, ut tibi dignitatē istā, qua maior in terris homini nō potest contingere, gratularetur. Ego uero non sumam ullam hac in re operā, ut qui certo sciam, quā egre munus hoc praeter omnem expectationem delatum susceperis. Et fortassis ineptus uidear, si inde tibi gratuler, unde tu suspiras & ingemiscis, non ignarus quod difficile sit istā provinciam sic obire, ut functionem tuam approbes principi Christo, cui mox omnium gestorū reddenda erit ratio, praesertim hisce temporibus, quibus totum Christianae ditionis corpus, utraque sui parte, tantis malis laborat, etiam si non accederent Turcarum atroces minae, atque adeo iam non minētantū. Sed quo minus est causa, quur priuatim gratulemur tibi, hoc impēsus publicae gratulamur orbi Christiano. Nam haec rerum humanarum tempestas talem omnino requirebat nauclerum. Multis enim argumentis in spem uocamur, futurū ut provinciam diuinitus delegatam non alij geras quā Iesu Christo, & huius gregi. Qui utinam promere

atur,



ERASMI ROT. EPISTOLĀ

bit prolixior in Arnobium praefatio. S. T. diu
nobis seruet omnium seruator dominus Iesus, qui
tibi suas uices gerenti semper adesse dignetur, Bas
filee. Anno. M. D. XXII.

Hæc epistola missa est priore diplomate mis
so quidem, sed nondum reddito.

S. P. N. ADIRANO SEXTO
Erasmus Roterodamus S.



Beatissime pater, pietatis in te mee,
promptæq; erga sedem istam obe
dientie pignus, iterum mitto, per
publicum nuncium ciuitatis Bas
liensis, si forte libellus quem pri
dem misi, redditus non est. Tum aliud ad manum
non erat, ubi sese uberior obtulerit occasio, non de
futurus sum officio meo. Nihil his temporibus pot
est esse turbulentius, in quibus difficillimum sit o
mnibus satisfacere. Ego certe hactenus satisfeci cō
scientiæ meæ, quam spero me Christo etiam appro
baturum. Neq; simplex est rerum tempestas. Ar
mis, opinionibus, studijs, factionibus, odijs, cōuulsa
sunt oīa. Mūdos unū te spectat, qui rebus humanis
ferenitatem reducas. Si tua sanctitas iubebit, aut
debo secretis literis indicare consilium meum,
si non

AD ADRIANVM P. VI

si non prudens, certe fidele, quo malum hoc sic ex
tingui possit, ut non facile repullulet. Nec enim ma
gni refert, sic opprimi uiolentia, ut mox crumpat
maiore cū periculo, quæadmodū solēt male curata
hulcera. In magnis tempestatibus à quouis etiā se
moneri patiūtur quālibet periti gubernatores. Nec
Moses repudiavit Ietro consiliū, etiam si ego Ietro
non sum, sed tamē apud Horatiū Dauus fidele con
siliū impartit hero suo. Si quid erit quod proba
bitur, licebit uti. Si nihil erit, quoniam præter duos
nos nemo cognoscet, nullo periculo res obliterabi
tur. Nos humiles uidemus et audimus fortasse quæ
dam non aspernanda, quæ summos uiros fugiant.
In primis illud cauendum censeo, ne priuat a quo
rundam odia ledant publicum orbis et Christi ne
goaum, et sic uindictetur hominū autoritas, ut non
prodatur autoritas Iesu Christi, qui solus est heri et
hodie ipse et in secula. Nos olim quædam liberius
lusimus, sic tum ferebat temporum tranquillitas,
non suspicātes hoc seculum exoriturum. Nūc quo
niam uiaeo rem Christianam in graue discrimē ad
duci, modis omnibus aduigilandum est, neque quæ
quæ omnino dandum priuatis affectibus. Nolint
ominari male. Tamen uideo plus imminere pericu
li, quàm uellem, aut quàm multi intelligant. Utinā
Christus omnia uertat in bonum exitum. Ciuitas

omnes

F hæc



ADRIANI P. VI. EPIST.

hæc Basilea multis dotibus eximie florens peculia-
ri quodam studio ducitur erga sedem istam, quum
ob multa, tum ob synodum quodam hic habitam.
Proinde digna est meo iudicio favore sanctitatis
tuæ, præsertim quum quod petit, nec iniquum sit,
nec difficile. Hoc iussus sum ascribere, quum nihil
esset opus. Si tua sanctitas dignabitur obedientiæ
meæ periculum facere, iniungat quod uolet, nisi
promptus & alacer paruero, ne numeret Erasmi
inter suos. Spiritus domini Iesu dirigat animū tuū
& omnes tuos conatus ad salutē orbis ac dei glo-
riam. Basileæ. Anno M. C. XXII. XI. Cal. Ian.

ADRIANVS PAPA SEXTVS.



Uelcte fili, salutē & apostolicam
benedictionem. Litteras tuas, tam
eas quas manu tua ad nos exara-
sti, quàm eas, quibus in fronte cōmen-
tariorū Arnobij excusis labores
tuos nobis nuncupas, semel atq; iterū legimus per-
libenter, tum quia abs te ueniebant, quem ob egre-
giam eruditionem semper plurimi fecimus, tum
quia singularem quandam in nos, & religionem
nostram, pietatem præ se ferebant. Nam de Ar-
nobio, & si eum per grauissimas occupationes nō
dum

AD ERASMV M ROT.

nam nobis perlegere licuit, ex ijs tamen quæ huc
usq; quasi raptim de eo libauimus, tum ex uene-
randa eius uetustate, rei q; de qua agit, argumēto,
& tua deniq; cōmendatione, persuasum habemus,
non posse eum non esse optimū autorem. Quod ue-
ro scribis, uereri te, ne aliorū cōijs & insurras-
tionibus Lutheranae factionis nomine sis nobis su-
spectus, homo in hoc te esse animo uolumus. Licet
enim, ut uerum fateamur, nomen in hac re tuū ab
uno fortē uel altero, tui non multum studio, non
nihil apud nos delatum sit, ex natura tamē nostra
& instituto, adde etiam ex eo quod gerimus offi-
cio, non faciles præbere aures solemus ad ea, quæ
de doctis & uirtute præditis uiris sinistre nobis
referuntur, quos quanto scimus excellentiore do-
ctrina præditos, tanto uidemus esse inuidiæ mor-
bus magis obnoxios. Pro ea tamen qua te prose-
quimur charitate, proq; famæ & ueræ gloriæ tuæ
desiderio te hortari non omitimus, ut contra no-
uas istas hæreses stilum istum, qui tibi dei benigni-
tate felicissimus contigit, exerceas, cum multis de
causis tu provinciam hanc tibi potissimum à deo
reseruatam reputare merito debeas. Inest enim tibi
magna ingenij uis, uaria eruditio, scribendi prom-
ptitudo, quanta nostra memoria paucissimis alijs,
ne dicamus nullis: præter hæc uero apud eas natio-
nes,

Uobis Erasmi

ries, unde hoc malum ortum est, summa autoritas
 & gratia, quibus sanè dotibus ad eius honoris, &
 ecclesie fideiq; defensionem uti debes, qui eas tibi
 sola sua benignitate elargitus est. Quod ea potissi-
 mum de causa à te fieri cupimus, ut & his qui te
 super re Lutherana suspectum reddere conantur,
 hoc demum pacto silentium imponas, & labores
 tuos, quos locupletandis politionibus literis, &
 expoliendis sacris diu impendisti, hac tam sanctis-
 sima opera, qua nulla deo gratior, nulla ueris ca-
 tholicis optatior, nulla te & ingenio, eruditione,
 eloquentiaq; tua dignior esse potest, exornes. Ca-
 me enim expectes tibi tota uita tua datum iri occa-
 sionem, qua uel maius deo obsequium, uel uberius
 nationi tuæ, imò uniuersæ Reip. Christianæ bene-
 ficium impendere possis, quàm si non minus stoli-
 das rusticasq; quàm malignas istar hereses à Mar-
 tino Luthero, non quidem inuentas, sed à priscis
 heresiarchis, quos catholica ecclesia ac sanctissi-
 mi patres diuino spiritu proculdubio affati, septi-
 us condemnarunt, acceptas quasi ab inferis denuo
 erutas: quæ tot animas fratrum tuorum quotidie sub-
 uertunt, & uniuersa confundunt, turbationibusq;
 replent, Hieronymi tui, Augustini, & aliorum san-
 ctorum patrum zelum exemplaq; imitatus, lucidissi-
 mis rationibus, & sanctæ scripturæ autoritatibus
 confuderis,

confuderis, sustuleris, exploseris. Multa quidē Era-
 sme magno studio magnoq; successu antehac scri-
 psisti, quæ licet per se magnam doctis omnibus uti-
 litatem attulerint, tamen præ hoc opere ad quod
 te hortamur, & quod hominum abs te consensus
 expectat, minus necessaria, cum illa doctis tantè
 profint, hoc uero in cōmunem omnium Christiano-
 rum pacem & tranquillitatem (qui ferè unus in
 hoc seculo est Euangelicæ doctrine finis) deo aspè-
 rante sit redundaturum. Quod cum ita sit, non de-
 bes fili Erasme, tu qui à puero ad hoc ætatis, quasi
 p omnes gradus eas artes quasq; tractasti, semp
 aliquid meditando & scribendo iuuisi, ad hanc
 rem isti professioni, isti ætati debitā diutius subsi-
 stere, cum idem in te ad scribendum uigeat tenor,
 iudicium longe sit firmitus, doctrina uero (ut par
 est) etiam locupletior accesserit, quàm prius: neq;
 uero prouinciam hanc rationabiliter declinare
 queas, quod fortè ex modestia tua te huic rei im-
 parem dicas. Nam præterquàm quod cōtrarium
 & omnes norunt, & rei habet ueritas, aderit tibi
 in hac re laboranti deus, cui in hoc seruies: aderit
 & iustissima fidei causa, quæ aduersus heretico-
 rum impetus & insidias ad extremum semper ue-
 strix fuit, et proculdubio etiā nunc erit, licet deus
 iustissimo iudicio propter grauissima hominum sce-

lera, maxime ecclesiasticorum, ecclesie suae nauis
 culam in his fluctibus nonnihil laborare permit-
 tat. An putamus eundem deum sponsam suam ec-
 clesiam, quam precioso sanguine suo sibi acquisi-
 uit, & cum qua usque ad consummationem seculi
 se futurum pollicitus est, nunc deserturum, &
 non potius confusurum eos, qui superbos intel-
 ctus suos contra dei scientiam, & contra catholi-
 cam ueritatem extollere non uerentur, quibus iudi-
 cium iam olim non tardat, & perditio illorum
 non dormitat? Vidi, inquit propheta, impium su-
 perexaltatum super cedros Libani, & transiui,
 & ecce non erat, quae siui, & non est inuentus lo-
 cus eius. Quod proculdubio etiam Luthero &
 suis, nisi resipuerint, cito eueniet. Qui ut ipsi sunt
 carnales, & dominationis contemneres, ita o-
 mnes sui similes reddere student. An igitur contra
 istorum insaniam stilum tuum conuertere dubita-
 bis, quos deus iam a facie sua proiecisse, & in re-
 probum sensum manifeste tradidisse conspicitur, ut
 dicerent, docerent, atque agerent quae non conueniunt;
 quibus uniuersa Christi ecclesia perturbatur, inuisi-
 merabiles animae aeternae damnationis reatu cum
 eis inuoluuntur? Exurge, exurge in adiutorium
 causae dei, & praeclearis dotibus ingenij, quas ab
 eo accepisti, in eius honorem, sicut huc usque fe-
 cisti,

cisti, utere. Cogita in te positum esse, cum dei ad-
 iutorio, ut magna eorum, qui per Lutherum sub-
 uersi sunt, pars in rectam uiam redeat: qui non
 dum ceciderunt, stabiles permaneant. Qui uero
 uacillantes, ac lapsi propinqui sunt, a labendo
 penitus praeseruētur. Quae res quam grata deo, &
 ueris catholicis iucunda futura sit, tu ipse facile
 estimare potes. Qui etiam meminisse debes dicti
 illius beati Iacobi apostoli, quo asserit eum, qui
 fratrem suum a ueritate errantem conuerterit, &
 peccatorem ab errore uiae suae reuocauerit, ser-
 uare illum a morte, & operire multitudinem pec-
 catorum. Nobis certe, dici non potest, quam acce-
 ptam rem facies, si tua opera fiet, ut qui pessima
 ista haeresi infecti sunt, sponte potius sua resipi-
 scant, quam censoria sacrorum canonum legumque
 imperialium uirga percuti expectent. Quod quam
 a nostra natura sit alienum, tu ipse, uti credimus,
 ex eo tempore quo simul in iucundo literarum
 otio, & priuata adhuc uita, Louanij degimus,
 optime nosti. Quod si rem hanc, quam salutis
 creditarum nobis ouium Christianaeque tranquillitatis
 desiderio, tanto studio abs te poscimus, ple-
 niore adhuc obsequio augere cupis, fac, transacta
 hyeme & aere Romano, qui aliquot iam mensi-
 bus peste laborat, purgato, ad nos quam primum
 uenias,

uenias. Sed incolumis, sed letus. Iuuabit enim non parum te ad hoc opus, quod tam prestare debes, si potes, magna quos hic habemus, librorū copia, & frequens nobiscum, & cum pluribus alijs pijs & doctis uiris de hac re commentatio. Nos uero uicissim dabimus operam, & breui cum dei auxilio, ut ne te istius itineris, aut tam sancti laboris poeniteat. Prout dilectus filius magister Ioannes Faber, uir zelosus, & egregie doctus, tuiq; amantissimus, & magnus laudum tuarum ubiq; prece, tibi uiua uoce, uel scriptis latius explicabit. Cui eandē, quam nobis habiturus esses, fidem adhibebis. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris. Die prima Decembr. M. D. XXII. Pontificatus nostri anno primo.

T. Hexius.

ADRIANVS PAPA SLXTVS.



Dilecte fili salutem & apostolicā ben. Reddita sunt nobis his proximis diebus literæ tuæ xi. Cal. Ianuarij, Basileæ ad nos datæ cū altero exemplari eleganter, & sumptuose apparato Arnobij, tua opera castigati, & sub nostro nomine in lucē emissi, ppter ea quod nondum certior factus esses, an quod primo misere-

ras

ras ad manus nostras peruenisset. Quibus duabus rebus uere ex animo, & plus quàm credi facile queat, in domino letati sumus. Nā et munus ipsū tale est, ut quantū tum ex longa epistola tua operi præscripta credere, & ex paucis quæ hactenus p̄ diuersas occupationes in illo legere potuimus, odorari licet, uel per seipsum, nedum ex eo quod abs te probatū & editum sit, magnopere doctis omnibus placere debeat, et literæ ipsæ tantam animi tui sinceritatē, religionē, zelum dei, pietatem, ergaq; nos, & hanc beati Petri sedem deuotionē & obseruantiam præ se ferunt, ut si qua unquam ex mēnis amicis de te delationibus (quales excellētibus uiris nunquam deesse solent) irrepere potuisset animo nostro sinisterior de tua integritate suspicio, eam omnē hæc literæ penitus sustulissent, omnē noq; credas ex illis ad eam beneuolentiā, qua te tū ob patriæ studiorumq; et uitæ cōmunionē, tum ob multiplices ingenij & naturæ dotes, quas honorū omniū largitor in te collocauit, semp̄ sumus prosequuti, maximū pondus accessisse. Sūmopere uero in illis gratum fuit, quod nobis consiliū pollicearis tuū, quo temporū istorū turbulentiā atq; confusio sic, ut ais, extingui possit, ut non facile repullulet, Teq; in domino hortamur, & quàm maxime possumus serio, & in abundantia charitatis requiri-

F S mus,



ADRIANI P. VI. EPIST.

mus, ut quantum tibi dominus donauerit, nobis modum ac ratione aperire satagas, quibus terrum hoc malum (dum adhuc medicabile est) de medio nationis nostrae auferri ualeat. Quare nihil est sub sole quod ardentius desideremus, neque id quidem, quod nostra autoritas atque potentia (quod ad nos prius tunc attinet) hac seua tempestate nonnihil periclitari uideatur. Quippe quarum neutram non modo unquam concupiuerimus, uerum etiam ultro delatas uehementer reformidauerimus, plane (deum testamur) recusaturi, nisi inde dei offensam, et conscientiae nostrae lesionem ueriti fuissetus. Sed quod tot millia animarum Christi sanguine redemptarum, et curae nostrae pastorali creditarum, idque nostrae secundum carnem nationis, sub spe Euangelicae libertatis, re autem uera diabolicae seruitutis recta in perditionem trahi uideamus. Quam uero et citius et secretius nobis huiusmodi tuum consilium patefeceris, tanto deo maius obsequium, et nobis rem gratiore praestiteris. Celeritate enim propter commune periculum, secreto uero propter tuum, cuius incolumitatem ut nostram cupimus, opus est. Et quamuis iam dudum ad te peruenisse credamus literas nostras prioribus tuis, cum quibus alterum exemplar Arnobij ad nos dederas, respondentes in quarum calce te inuitabamus, ut transacta hyeme, et aere Romano a presenti pestis

AD ERASMV M ROT.

stis contagione repurgato, ad nos uenires, magnamque ex his postremis literis fiduciam conceperimus, te ei desiderio nostro morem gesturum: omittere tamen noluimus, quin id ipsum et per has nostras abs te etiam instantius deposceremus, nisi forte tibi euidentissime constaret, te isthic plus quam apud nos deo obsequi, et ecclesiae suae prodesse posse: eo enim casu contra rationem propositumque nostrum, quo dei honorem, et ecclesiae suae edificationem, posthabitis omnibus priuatis affectibus, querimus, futurum esset, si te ex uberiori messe auocaremus. Alioqui uero scito, te nil nobis gratius, quam si ad nos ueneris, et cito ueneris (quatenus tamen id citra incommodum tuum fieri ualeat) prestare posse. Nobisque omnino curae fore, ne itineris ac laboris te tui poeniteat: ueluti prioribus literis promissimus, et hisce repromittimus. Non est autem cur ob alterutram dictarum causarum uenire differas, cum iam et hyems declinare incipiat, et pestis contagio adeo facta sit exigua, ut in tanta urbe prope nulla uideri possit. Negotium istius ciuitatis, et ob illius nobilitatem, ergaque hanc sedem deuotionem, et ob tuam intercessionem, commendatissimum habemus, breuique expeditum ad ipsam ciuitatem cum eius nuncio reuertetur. Datum Romae apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris die uigesimatertia Ian. M. D. XXII. Pontificatus nostri anno primo.

T. Hezius,



ERASMVVS ROT. IODOCO GA

**vero uiro prater iuris professionem unde
quaque doctissimo S. D.**



L Oannis Neuij cōmunis amici nū/
ciata mors quēadmodū mihi gra/
uē mōrorē attulit, ita attulit et sa/
lubrē admonitiōē. Non enim pos/
sum non grauitē ferre tam singu/
laris amici iacturam, praesertim quum ipse multis
nominibus esset uita longissima dignissimus. Rur/
sum tam subita mors, admonet nos omnes, nequis
in eo statu uelit uiuere, in quo nolit mori. Ex amico
rum enim literis intelligo, illum cum amicis hilariter
ac iucunde coenasse. Mox quum ascenderet gradus
illos à me toties calcatos (nam demigrarat in cu/
biculum meum) subito morbo correptum ad horā
fermē decimam, nec ab hoc paroxysmo uiuisse ni/
si sex horas. Quauquā haud sūo an ista mors pos/
sit uideri subita, cum illi tot annis res fuerit cū pa/
ralysi. Ac mea sententiā nimīū indulgit medicinē,
cuius ipse non erat ignarus. Nam quae pars est libe/
ralis eruditionis in qua uir ille non fuerit felicissi/
me uersatus? Tanta erat ingenij dexteritas. Proin/
de in familiaribus colloquijs soleo nōnūq̄ illum in
illum iacere. Ingenium Neuij male habitare. Profe/
cto dignus erat animus ille feliciori domicilio. Rur/
sus

uopifmg, stimu
rio, p...
epo...
d...
mulare

ERASMI ROT. EPIST.

sus indigna mens erat, quae curis humilioribus in/
quinaretur, sed semel irretitus explicare sese non
poterat. Tam quae linguae felicitas, quam prompta,
quam parata dicēdi facultas, si de re seria dicens/
dum esset? Qui lepos, quae argutia, si iocis aut salū/
bus ludere libuisset? Tum qui morum candor? quae
conuictus suauitas? Quam erat amicus ami/
co? Quam arcani crediti continens? Quam non
sordidus? Vnum in eo desiderabam, ne nullus es/
set neuus in Neuijo. Tenacior erat simultatum
quam ego uolebam. Eas non facile quidem conci/
piebat, sed semel conceptas egre ponebat. Hac una
de re nonnunquam inter animos tā cōcordes erat,
ut scis, aliqua discordia. Nō poteram illi persuade/
re, quam facile nōnunquam graues inimicitias co/
mis appellatio solueret, quamq; uerum esset illud
graecorum pro uerbum, πολλαὶ φίλια ἀπὸ οὐ
γῶγια φίλων. Solebam illi occinere fabulam de
loame Coeto, uiro perenni hominum memoria
digno. Pessime illi cōueniebat cū patruo uiro ad/
modum sene ac praefractis moribus. Lis erat nō de
lana caprina, nec de asini, quod aiūt, umbra, sed de
magna summa pecuniarum ob quantam uel filius
bellū indiceret patri. Coletus pransurus apud R.
P. Guilhelmmum Archiepiscopum Cantuariensium
xit me sibi in cymba. Interea legebat ex Enchiri/
dio

multas ammiras
admonet adagium
asidua questus ar
et omnibus alioq; rone
iudicatis at, d...
sione et absentia di
solui:

ERASMI ROT. EPISTOLA

ditio meo remediū iracundiæ, nec tamen indicabat
 quur ea legeret. Accubitus ordo fortè sic dabat,
 ut Coletus sederet è regione patruī, uultu subtristi,
 nec loquens, nec prandens. Archiepiscopi uero ra-
 ra quedā est hac in re dexteritas, ut curet, ne quis
 parum hilaris sit in cōuiuio, sermones ad omniū
 affectus attemperans. Iniectus itaq; sermo de col-
 latione ætatum. Orta est inter mutos cōfabulatio.
 Deniq; patruus senum more gloriari cœpit, quod
 tantus natu, tantopere polleret uiribus. A prandio
 nescio quid seorsim agitatū est inter illos. Vbi Co-
 letus mecū repetisset *Cymbam*: Video, inquit, Era-
 smo te felicem esse. Ego admirabar, quur hominē
 infelicissimū diceret felicem. Ibi denarrauit, quā
 atroci animo fuerit in patruū, adeo ut propemo-
 dum statuisset omnibus Christianæ modestiæ repa-
 ratis refractis, & cognationis affectu contempto,
 manifestum bellum suscipere cū patruo. Ea; gra-
 tia cepisse meū Enchiridium in manus, ut iracun-
 diæ remedium quæreret, & profuisse. *Mox ex ea*
 qualicunq; cōfabulatione, quæ orta est in pran-
 dio, utrinq; dilutam amarulentiam, sic ut mox Ar-
 chiepiscopo sequestro facile res omnis inter eos
 composita sit. *Huius generis* exemplis apud illum
 cōmemorandis non admodum promouebam. Sed
 hunc naturæ neuum, quot eximijis uirtutibus ille
 pensabat?

AD IODOCVM GAVERVM

pensabat? Hic nō pergam te cōsolari Iodoce, uirū
 iuxta prudentē ac doctū, ob mortē amici. Sciebas
 enim te habere mortalē, quēadmodū ille dixit de fi-
 lio: Sciebā me genuisse mortalē: & ab omni philo-
 sophia uidetur alienus, q̄ miserius ducit mori na-
 tum, quā nasci moriturum, quū utrinq; pariter
 secundū naturam sit hominis. Verū dictū mirū, q̄
 uulgus excretur subitam mortē, adeo ut nihil fre-
 quētius, nihil uehementius apud deū ac diuos depre-
 centur, q̄ mortē subitanēam & improuisam. Atq; hic
 superstitiosus mortalium timor sibi uana fingit
 remedia, simulacrū Christophori, certas preculas
 ad uirginē matrē, uoces ac notulas quasdam magi-
 cis nō dissimiles. Qui tantopere formidant subitā
 mortē, quāto rectius facerēt, si à superis precaren-
 tur bonā uitam? Quid enim stultius, q̄ uitæ corre-
 ctionē differre in mortē? Quā uero paucos cor-
 rigit longa egrotatio, si tamen illos corrigit. De
 nemine quidem desperandū est, sed tamen sero dis-
 cit Chr. tianismū, qui iam quod discit, exercere
 non potest: sero confessionis remediū adhibet, quē
 iam in summis labris est anima. Da mihi, inqui-
 unt, ueram contritionem, & puram confessionem
 ante mortē. Et hoc petunt nōnunquam à diua Bar-
 bara aut Erasmo. Obsecro, quid aliud isti petunt,
 quā liceat mihi male uiuere, et da tu bene mori.
 Nolunt odiſſe cōmissa sua, nisi sub horam mortis,
 uolunt

*Cymba parua
 in medio larior
 Ciro: li: officio
 2: Cymbarum
 ante pedes m
 titudo q se
 quod reperit
 asserbar:*



uolunt frui peccatis suis, quàm diu ualent. Alioquin
dicerent Christo, non Barbara: Da mihi nunc odium
peccatorum omnium, da salutiferum de commissis do-
lorem, da ut mihi semper amara sit recordatio su-
periorum malorum, da dum ualeo sic confiteri se-
mel, ut posthac non sit opus confessione. Quidam
illud etiam nominatim à deo flagitant, quo genere
mortis mori uelint, et quot menses decubere. Quam-
to Christianus est, nihil interim aliud curare, quàm
ut sic instituamus uitam, ne quandocunque dies il-
le supremus aduenerit, opprimat nos imparatos, re-
liqua numinis arbitrio relinquamus? Nouit deus quod
cuique maxime expediat. Vna nascendi ratio est om-
nibus. Moriendi mira uarietas. Eligat ille quodcum-
que uoluerit. Non potest male mori qui bene uixit.
Quod si pio homini deligere fas esset mortis
genus, nullam arbitror magis optandam, quàm su-
bitam, quæ uelut è medio cursu bene uerorum operum
repente subuect in caelum. Iam egrotanti, ac uelit
nolit corpusculi malis seruienti, quantum perit tem-
poris ab officijs pietatis? Non studet, non aocet, non
concionatur, non uisit egrotos, non laborat mani-
bus, unde subleuet fratris egestatem, imò potius in-
terim alijs onerosus est, quos charitas nollet grau-
ari. Narrant Theodoricum Fraciscani sodalitiij, qui
Louanij diem suum obiit, uirum, ut scis, habitum et
pium

et piū et integrum, quū sentiret corpusculum gra-
uari lassitudine, unde conijciebat morbum sequu-
turū, solitum inter suos dicere: Vtinam deus ubi ue-
sum ipsi fuerit, hinc me subito tollat, ne diutino mor-
bo grauis sim fratribus meis. Adeo uir bonus non
uult cuiquam in uita molestus esse, ut ne morte qui-
dem sua uelit ullum grauari. Quod optarat conti-
git. Eo die quo defunctus est, bis fuerat conciona-
tus, peregerat rem diuinam, interfecerat solenni Le-
turgia, accumbat in prandio, sub finem prandij
petijt abeundi ueniam, dicens se sentire nescio quid
nauseæ. Abijt solus in cellulam, creditus est quiesce-
re. Vbi diu non prodiret, ingressi sunt fratres, et
reppererunt in lecto uestitum ac mortuum, sed dor-
mienti similem. Quis eam mortem non iudicaret fe-
liciore, quàm lentam egrotationem? Sed absunt ceremo-
nia, aqua sacra, cærens sacer, signū cruas, turba ac-
clamantium aut etiā euulatiū. Nō dicā hic, quod hæc
aliquoties nihil aliud quàm mortis molestiam con-
duplicat. Illud tantum respondebo, quod sic bap-
tizatus est Eunuchus ille Cædæas reginæ. Nec aliter
arbitror baptizatos quos baptizauit Paulus. Num
ideo noster baptismus felicior, quia tot ceremonijs
peragitur? Miserum est, inquiunt, mori solum. At
qui morienti sufficit unus angelus, qui animulante
elapsam deferat in coelū. Ad sunt nonnunquam qui
G solatio

Solatio sint morienti, sed frequentius adsunt, q̄ dolo
rē addāt ac desperationē. Vxor morosa, liberi ino-
bedientes, sodales alee, temulentiae, ac scortationū,
concupina, inimicus qui lesit. No sti senatorem illū
Mechliniensem, sodalem & æqualem Bogardi me-
dici, nam uterq; uixit usq; ad decrepitam ætatem.
Gronsellus autem ille superabat etiam aliquot an-
nis, ut ex ipsorum colloquio didici. Huius hospiti-
um usus aliquandiu Mechliniæ. Ibi ex filijs cogno-
ui quum iam decumberet, nam senio periit nerius
quàm morbo, cognatos apud ipsum pernoctare uo-
lentes, iussit abire cubitum. Nihil, inquit, opus mea
causa quenquàm grauari. Facile uel solus moriar,
nimirum paratus quandoq; me uocarit deus. O
uocem uere Christiano dignam. Quum agerē Rot-
mæ narrabant Saxonem quendam cum sodalibus
aliquot eò religionis gratia uenisse. Iuumq; surre-
xisset à pœnitentiario apud quē exonerauerat con-
scientiam suam, procubuit genibus flexis ad altare
quoddam, sic inmitens scipioni suo compl. sis ma-
nibus orans. Huius sodales quum uellent abire, mi-
rantur quid ille tã diu moraretur in precibus. Quē
ille finem non faceret, uellicant hominem admonē-
tes esse tempus abeundi, et reperiunt mortuum, sed
prorsus oranti similem. Narrant & Phisici subi-
tam ac uehementem affectus mutationem parere
mortem

mortē, qd̄ ferūt usu uenisse mulieri, cui mœrēt qd̄
falso rumore persuasum esset filiū in bello perisse,
repentinam mortem attulit filius præter expectati-
onem saluus ingressus domum. Idem uidetur huic
accidisse. Præcesserat ingens dolor de commissis.
Successerat ingens gaudium ex absolutionis fidu-
cia. Hinc mors subitanea. Mortuus est, inquit, sine
lux, sine crux, sine deus. At quis eam mortem non
optaret ut longe felicissimam? Nullum apostolorū
aut ueterum illorum, quos Christus unice charos
habuit, legimus morbo perisse, sed omnes fuisse Bio-
θavάτους, quemadmodum fuit ipse dominus. Atq;
ego quidem arbitror hoc mortis genus, magni nu-
meris loco illis donatum fuisse. Tota uita impende-
batur Euangēlio, mors ipsa plurimum habebat glo-
riæ, minimūq; cruciatus. Quid enim martyris mor-
te letius, mir. sue luctuosum? Tū quàm multi mor-
bi sunt, qui uincūt uirgas, unguas, secures et cru-
ces? Quot ānis multos discrutiat podagra? Quot
excoriatio renum ac uesticæ? Quot calculus, meus
carnifex? Quæ crux conferenda est cum pleureti-
dis cruātu? Leges quum maxime seuiunt, dissecāt
uiuum in quatuor partes, priusquam attingant ui-
talia. At ego crediderim minus sensurum cruātus,
si cui membratim corpus dissecetur, quàm qui sen-
tit calculum sub imis costis, ac circa uenarum quas
meseraticas

meseraicas appellant medici angustias sciuentē. Quamquam medici ueteres inter extremos cruciatibus, qui subitam mortem adferunt, primas tribuant calculo uescicæ. Qui fortassis hoc est acerbior, quod ferè sit immedicabilis, nisi uelis remedium morte crudelius, atque ipsam plerunque mortem. Certe huic proximum malum est renum calculus, quum seuit acerbius. Me uero tam subinde repetit, tamq̃ capitaliter adoritur, ut si quis odit Erasmmum, merito iam inimicus esse desinat, nimirum odio tot malis saturato. Porro cruciatum tam immitem secum adfert calculus, ut quàmuis ualidū ac robustū corpus intra triduum nonnunquam interimat, & si se remittat dolor, in hoc remittit, ut mox atrocius se uiat. Quid hoc est aliud quàm frequenter regustare mortem? Quis autem cuperet reuiuiscere, paulo post iterum moriturus? Proinde grauius autores non sine causa repentinam mortem summam uitæ felicitatem dixerunt. Huius exempla multa commemorat Plinius lib. 7. cap. 53. Sed multo plura quotidiana uitæ casus suppeditant. Quamquam inter hos feliciores uidentur, qui uehementi gaudio subito efflarunt animam. Sed longe feliciissimi, qui post multos annos feliciter actos, in re iucunda pariter atq; honesta subito defecerunt. Quemadmodum accepimus quibusdam rem diuinā facientibus aut concio-

nantibus

nantibus, aut cælestium rerum contemplationi intētis, repentinam mortem accidisse. Sunt qui felicius existimant bene uiuere quàm diu. Sunt rursus qui longæuitatem in maximis bonis numerant. Ego me inter felices numerare nō possū. Vix enī arbitror quenq̃ uiuere, q̃ minus debeat fortunæ. Tametsi bonā malorū partē, ut ingenue loquar, me ipsius incogitātia debeo. De longæuitate queri nō possum: iā enī nō procul absū ab ãno sexagesimo, quātū etatis si quis astrologus aut chiromantes mihi iuuenē promississet, nunquā fueram crediturus. Ac tum etiam mihi uideor uiuāior, quoties me consero cū his q̃ paucioribus uixerūt annis. Ante diē morior, si me conferam cum diuo Hieronymo, si cū Varone, qui octogesimum agens annū scripsit libros de re rustica, & ita scripsit, ut ex his uideatur adhuc alacri animo fuisse, et sensisse studiorum dulcedinem. Cum his potius me consero, qui cum tanto me præcesserint eruditione, tāto paucioribus annis uixerūt. Non iā loquar Lucanos & Persios. Vergilius anno quinquagesimo primo perijt. Ouidius non multo maior. Cicero anno. 64. Et hæc ingenia inter homines numero. Magis nos mouent exempla uiciniora. Laurentium Valam pono inter eos qui sempiternam posteritatis memoriam promeruerūt. Vidētur ante senectutem obisse diem. Hermolaus

*Quamdiu
uixerit
in felicitate
non multo maior
Cicero anno. 64.*

ad iustam senectutem peruenit, sed multo ante des
 crepitam excessit etatem. Picus Mirādulanus, An
 gelus Politianus, quæ sui seculi decora, uigenti ad
 huc etate perierunt. Si ueterū monumēta reuoluas,
 comperies multos in literis celebres uiros, ad mul
 tam etatem uixisse, hac nostra memoria perpaucos
 reperias, siue hoc imputandum mundo uirgeni ad
 senium, siue quod nunc eruditio maiore dispendio
 comparatur. Veniā ad illos quos mihi ante annos
 non ita multos uidere contigit. Quum primum ad
 irem Italiam iam perierat Philippus Beroaldus
 Bononiēsis. Cuius memoria tum mire celebris erat
 & gratiosa, & tamen ille decessit me natu minor.
 Huius cognatum eodem nomine & cognomine re
 ferentem illum uidi Romæ. Iuuenem moribus can
 didissimis, stilo & eruditione non inferiorem illo
 maiore iudicio multorum, ut mihi uisum est, etiam
 superiorem. Hunc iuuenem fata terris eripuerunt.
 Bononiæ primum uidere contigit Scipionem Carte
 romachum, reconditæ et absolutæ eruditioni homi
 nem, sed usq; adeo alienū ab ostentatione, ut in pro
 uocasses, iurasses esse literarum ignarum. Cum eo
 post Romæ fuit mihi propior familiaritas. Et hic
 decessit haud multo maior annis quadraginta duo
 bus. Patuij neminem uidi celebrem, mortuos tantū
 commemoro, præter Raphaëlem Regium, hominem
 admodū

admodum natu grandem, sed cruda uiro uiridisq;
 senectus. Erat tum ut opinor non minor annis septu
 aginta, & tamē nulla fuit hyems tam aspera, quin
 ille mane hora septima adiret M. Musurum græce
 profitemem, qui toto anno uix quatuor intermitte
 bat dies, quin publice profiteretur, Iuuenes hyemis
 rigorem ferre nō poterant, illum senem, nec pudor
 nec hyems abigebat ab auditorio. Musurus autem
 ante senectutem perit, posteaquā ex benignita
 te Leonis ceperat esse Archiepiscopus, uir natione
 græcus nimirum Cretensis, sed latine linguæ usq;
 ad miraculum doctus, quod uix ulli græco contigit
 præter Theodorum Gazam, et Ioannem Lascarē,
 qui adhuc in uiuis est. Deinde totius philosophiæ
 non tantū studiofissimus, uir summis rebus natus si
 licuisset superesse. Quodam die quum domi ipsius
 conaturus essem, & adestet pater seniculus qui ni
 hil nisi græce sciebat, iāq; in Chernibe ut fit alius
 alij deferret, ego ut finirem moram inutilem, arre
 pta patris manu dixi græca, ἡμῶν δ' ὄνο γέγοντες,
 mire exhilaratus senex, lauit mecum. Quamquam
 id temporis haud multo maior eram Musuro. Mu
 surus autem amplexus Zachariam iuuenem exi
 mie doctum, καὶ ἡμῶν, inquit, δ' ὄνο νέοι. Venetiæ
 uidi Paulum Canalem Patriam iuuenem summis
 rebus natum, nisi mors illud ingenium terris inui
 disse

disset. Is p̄hisi perijt me illic agente. Aldus hospes
 meus multis post annis perijt, haud multo minor an-
 nis septuaginta, sed tamen animo ad literas mire iu-
 uenili. Petrum Cottam uno prandio uidi, et audiui
 tantum, etate florenti, pari modestia atq; eruditio-
 ne uirum, Romæ uidi Petrum Marsum longæuum
 potius quàm celebrem. Non multum aberat ab an-
 nis octoginta, et florebat animus in corpore non in-
 felici. Mihi uisus est uir probus & integer, neq; po-
 tui non mirari industriam. In tanta etate scribebat
 commentarios in librum de senectute, aliosq; non-
 nullos Ciceronis libellos. Licebat in eo perspicere
 uestigia ueteris seculi. Ibidem cognoui & amaui
 Petrum Phedrum, lingua uerius quàm calamo cele-
 brem: mira erat in dicendo tum copia tum autori-
 tas. Magna felicitatis pars est Romæ innotuisse, ille
 primum innotuit ex Senecæ Tragedia, cui titulus
 Hippolytus, in qua representauit personam Phe-
 dræ, in arca, quæ est ante Palatium Card. Raphaë-
 lis Georgiani. Sic ex ipso Card. didici, unde & Phe-
 dro cognomen additum. Is obiit minor annis, ni fal-
 sor, qui quaginta, dictus sui seculi Cicero. Hierony-
 mum Donatum tantum uidere contigit per occasio-
 nem. Nec post data est congregiendi facultas, senex
 erat, sed florentissimo corpore, uir ob raram inge-
 nij dexteritatem, nō solum ad literas, uerum etiam

ad omnem publicorum muncrum functionem ap-
 positus. Procul abest ab Italia Britannia, sed erudito-
 rum hominū æstimatione proxima est. Quàm mul-
 tos hic ex uetere sodalitia desidero. Primum An-
 dream Ammonium Lucensem, deum immortalens
 quanta ingenij dexteritate, quàm fideli memoria
 præditū. Tū animus quàm erat excelsus, quàm alie-
 nus à liuore, quàm alienus à sordibus. Hūc & suis
 dotibus & omni principū applausu florentem, ma-
 ximis rebus destinatum subita mors interceptit, natu-
 minorē annis quadraginta. Cuius æquidē decessū nō
 possū nō dolere, quoties in mentem uenit, quàm mi-
 hi fuerit iucunda familiaritas. Erat huius sodalita-
 tis & Ioannes Sixtinus phrysius, qui non multo
 post obiit sed illo maior, cæterum corpore, quod ni-
 si si qua morbi uis incidisset, in Nestoris etatem di-
 rare potuisset, ingenium erat ad omnia uersatile,
 memoria prompta tenaxq;. Præter iuris utriusq; scien-
 tiam, quam habebat loco uiatici, in nulla discipuli-
 na non feliciter uersatus. Successit his Ioannes
 Coletus, qui decessit anno sermè quinquagesimo ter-
 tio. Huius eximias dotis quid oportet recensere,
 quum eum in literis meis satis depinxerim, idq; ex
 uero. Nam hominem multis annis domestice noui.
 Haud multo post perijt Gulielmus Grocinus, præ-
 ter Theologiæ professionem, in omni genere disci-

plinarum usq; ad morositatem exacte uersatus. Is tamen ut ad multam uixit etatem, ita nihil scriptū reliquit. Attactus paralyſi plus minus annū ipse sibi superstes fuit. Ex Germanis amicis nullum deſidero, præter Ioānem Capnionem, qui florenti quidem senectute, sed tamen iusta defunctus est. Poterat adhuc diu succurrere publicis studijs, nisi sic uisum esset superis condere quædam animantia quæ nihil aliud quàm ledant Bos arat, æquus gestat, ouis pascit. Quid faciunt Crabriones, Cynomys, uiperæ & Cantharides? His accessit publica bellorū tempestas. Utinam liceret Huttenum in hoc Cataſtropho ponere. Nūc circuitu facto redeo Louanium. Illic triduum fruiſus sum consuetudine Christophori Longolij Brabanti. Nam Mechliniæ natū aiunt. Is nuper perijt Venetiæ, natus annos plus minus triginta. Iuuenis ad litteras natus, & in his mature feliciterq; institutus, inter nobiles futurus, si licuiſſet uiuere. Postremus omnium nos reliquit Neuius. Sic solent milites nobilium ducum cōmemorare facta, et ex illorū exemplis sibi proponere quid possit accidere. Nos itaq; restam⁹. Quid dixi restam⁹? Ego, nam de me loquor, ultra colum, quod aiunt, uiuo. Felix si cum eorū quæ expertus sum memoria liceret repubescere. Verum hoc ut uotum est *ἄνευ λόγου*, nam Homericō uerbo libenter utimur, ita nihil me

hil me torquet. Volens sequor quō uocat communis nature cursus. De uite spacio nihil queror, ultra spem contigit: Quanquā poteram annos aliquot in amicorū fauoribus, quos industria mearū lucubrationū mihi per uniuersum orbē nō paucos parauī, conuiescere, nisi ueluti mus, quod græco prouerbio dicitur, in picem, in hoc Tragicum seculum incidissem. Quo minus obtigit hic felicitatis, hoc confido melius mihi futurum in altero seculo. Et tamen mihi sui infelix potius quàm alijs. Sunt qui sibi nati, sibi uiuunt, omnibus incommodi, sibi solis felices, neque cuiquā bene faciunt nisi quum moriuntur. Ne tum quidem deest animus incommodandi. Onerant posteros parentalibus, precibus, sacris, uestibus, ceremonijs, nolarū strepitu, ut uel mortui negocium facerent uiuis. Ego malim Herculanis immori laboribus. De mortis genere, quo nō aliud cruciabilius, sic me consolor, quod nihil habet omnino cōtagij, cum leuiora etiam corporis uida, quod genus sunt lippitudo, aut lingue balbuties afficiāt conuictorem, solus dolet, solus periclitatur, qui laborat calculo. Nullus autem est cruciatus tantus, quem humana natura non serat, si assueuerit, præsertim si adsit fortis animus. Nec muliebriter dictum est apud Euripidem ab Electra.

δὴν ἔσι μ' οὐδέ μ' δ' αὐδὸν, ὅδ' ἔρω μ' ἔπ' ὄ

δὴν ἔ

ἄνδρ' οὐκ ἔστιν ἀρετὴ ἀχρὸν ἀνδρώπυ φνσίε.
 Porro quod ad animum attinet, nō solum sic cogi-
 to mitiūs reddi malum, si quis ferat equo animo,
 quod uitari non potest, uerum etiam hoc Euange-
 lica debeo philosophie, quod corpusculum hoc to-
 tum semel dedidi Christo, non aliter quā egrotus
 ac de uita periclitans se credit medico ungenti,
 proluenti, secanti, urenti, persuasus quod quibus-
 cunq; modis ille tractauerit hoc animæ domiciliū,
 salutis meæ causa facturū sit. Nihil illi prescribo,
 tantum seruet ac faciat quod uelit. Scio illum ni-
 hil uelle, nisi quod nobis est optimum. Ceterum ab
 his remoris, quæ non patiuntur alios equo animo
 superstitionibus dicere, ualete & plaudite, iam prope-
 modum sum liber. Et iuuenis cibum ac potum sem-
 per ita sumpsi, ut pharmacum. Ac sæpenumero do-
 luit, non licere sine cibo potuq; perpetuo degere.
 Veneri nunquam seruitum est, ne uacauit quidē
 in tantis studiorum laboribus. Et si quid fuit huius
 mali, iam olim ab eo tyranno me uindicauit ætas,
 quæ mihi hoc nomine gratissima est. Ab ambitione
 semper abhorruī, cuius rei nūc me suppœnitit. Tā-
 tum honoris accipiendum erat, quantum sat erat
 ad uindicandum à contemptu. Sed nec tum poterā
 imaginari tales esse beluas sub humana specie, quæ
 les ex/

les exerior, et nunc ambire serum est, quod obia-
 re non possim. Senectus solet ad rem attētos redde-
 re. Huius morbi ne tantulum quidem adhuc attigit
 animum meum. Atq; utinam sic liceat moderari
 sumptus, ut morienti nec proprium æs nec alienū
 supersit, præterquā quod huic ubiq; que reponē-
 do corpusculo sit satis. Porro fama sarcinam uti-
 nam liceat & antequā corpus deponere. Tantū
 abest ut me gloriæ pœniteat, si quid tamē omnino
 est gloria. Nulli sunt affectus priuati, puta liberorū
 aut parētum qui me remorentur in uita. Oēs amo-
 ex equo, qui Christum diligunt. Nonnihil mihi lu-
 ctandum fuit cum animo meo, ut erga eos qui scien-
 tes uolētes, destinata maliā, nihil cōmerito imō be-
 ne merito oblatrāt, obtrectāt atq; etiā exitiū molē-
 untur, sumeret affectum pure Christianum. Impes-
 trauius & hoc, ut non solum cogitemus de uini-
 dicta, sed ne male quidem precemur. Videmus hęc
 lenitatem etiam in militibus, quum certa mors ur-
 get, quā magis hunc affectū nobis præstare de-
 bet Euāgelica philosophia. Nūc aliquātulū in hoc
 luctor, ut certā fiduā aīo cōcipiā de salute. Atq;
 hac de re frequenter ipse mecum confabulor, non-
 nunquā & cum eruditis amicis cōmunico. Nec
 adhuc sit satis, nec à Lutheranis nec ab Antilu-
 theranis. Itaq; mihi nihil uidetur consultius, quā
 hanc



ERASMI ROT. EPIST.


hanc securitatem modis omnibus ambire precibus ac benefactis à Christo, usque ad supremū uitæ diem, actum huius quoq; rei iudicium illi permittere, sic tamen ut quàm est minimum spei ex nostris meritis, tam sit plurimum fiducia ex illius immensa erga nos charitate, eiq; promissis adeo benignis. In hac philosophia nunc uersor eruditissime Gaure, ad quam te quoq; hortarer, nisi scirem te uirū iuxta pium ac doctum, iam olim hæc omnia fuisse meditatū. Incuras incommodam ualetudinē, nec iniuria quereris. Erat istud ingenium omnino dignū meliore domicilio, sed uide ne multum adijciat mali morbi imaginatio. Deinde medicis uti laudo, indulgere non laudo. Salutabis diligenter ueteres congerones nostros Ioannem Paludarium, Theodoricum Aluysensem, Ioannem Armentheriensem, & Petrum Curtium, qui in Næuij uicis successerunt. Cunctis his totū sodalitiū trilingue. Basileæ Cal. Martijs Anno à Christo. M. D. XXIII.

Conclusiones

CONCLVSIONES PRINCIPALITER suspectæ & scandalosæ, quæ reperiuntur in libris Erasmi Rotrodami, per Iacobū Lopidem Stunicā excerptæ. Iacobus Lopis Stunica pio lectori. S. D.



Amet si Erasmi Rotrodami, blasphemias & impietates, quæ permultas sunt, libello edito superiore anno, in hac alma urbe publicauimus. Quia tamen sunt nonnulli, qui propter nimiam hominis uerbositatē, & inflatum dicendi genus, nō plene in plerisq; illius capitulis intelligūt, ubi nam lateat uenenum. Vnde simplicium corda per facile inficī possent. Eam ob rem principales eiusdem blasphemias, per modum conclusionum, more scholastico, in medium proponere uoluimus. Ut illis perlectis, quicumq; in rebus ecclesiasticis, uel mediocriter fuerit eruditus, Erasmi mentē facillime possit apprehendere. Simul etiam, ut hac nostra diligentia toto orbi clarius elucescat, nulla in re ab hereticis, & damnatis Lutheri conclusionibus Erasmicis differre. Cuius rei certius documentum præstabunt tria illa uolumina, quæ nos in uniuersas illius blasphemias & impietates conscripsimus, & antapologia item nostra contra eundem Erasmus. Quæ omnia



CONCLVSIONES STVN.

omnia deo duce, paulopost in lucem emittentur. Interim uale lector, & Erasmica scripta tanquam suspecta, & à sana doctrina magna ex parte deuiantia, singulari adhibita cautela, posthac curabis perlegenda.

CONCLVSIONES PRINCIPA

liter suspecte & scandalose, quæ reperiuntur in libris Erasmi Roterodami, per Iacobum Lopidem Stunicam excerptæ.

De Primatu apostoli Petri & sedis apostolicæ.

- 1 Ne quis ob hoc primum omnium apostolorum faciat Petrum. Quod in catalogo apostolorum, primus à Mattheo recensetur.
- 2 Illa uerba saluatoris, quæ habentur Matthei cap. 16. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Non uni soli Romano Pontifici pertinere, sed illi tanquam ecclesiæ principi, & unà cum eo uniuerso populo Christiano.
- 3 Romanus Pontifex apud ueteres non appellabatur summus, sed Romanus.
- 4 Actate diui Hieronymi, non solere quenquam à communionem depellere, quod nouo uerbo uocant excommunicare, nisi qui ad eam pertinisset ecclesiam. Ex quibus uerbis satis probatur Erasimum credere

CONTRA ERASMV M ROT.

credere. Romanum Pont. illis temporibus non habuisse ius alios excommunicandi, præter proprios & peculiare parrochianos, quod ex sequenti illius conclusionem hæretica, & insana apertius patet, cum infert.

- 5 Nam hæc Romani Pötificis Monarchia, post Hieronymi seculum exorta est.
- 6 Quod Petro dicitur: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo clauem regni cælorum, ad uniuersum populi Christiani corpus pertinet.
- 7 An Damasus fuerit summus orbis Pontifex, in medio relinquo.
- 8 Augustinum non agnouisse Rom. sedis auctoritatem, quam illi nunc tribuimus.

De sacramento confessionis.

- 9 Fuisse antiquitus nonnullam confessionem male actæ uitæ, sed apertam, ut opinor, quam nec legimus exactam à quoquam.
- 10 Quæ nunc recepta est clancularia confessio, & in aurem fit, uidetur ex consultationibus priuatis esse nata, quæ solent apud episcopos fieri, si qui scrupulus urgeret animum.
- 11 Olim confessionem fuisse publicam, & de notis commissis, publicam olim satisfactionem.
- 12 Apparet Hieronymi tempore nondum institui

CONCLUSIONES SVN.

12 *Etiam fuisse secretam admissorum confessionem.*

De sacramento extremae unctionis.

13 *Hodie sacro oleo unguuntur laborantes, nõ ut conualescant, sed ut tutius migrent.*

De sacramento matrimonij.

14 *Matrimonij conditionem commodiorem esse Iudæis quàm nobis.*

15 *Haud scio, an hoc sacramentum septimũ (id est matrimonium) ueteribus fuerit cognitum.*

16 *Nullus est locus, unde liqueat, Græcos & Latinos coniugium inter septem sacramenta connumerare.*

17 *Naud scio an etate Diui Hieronymi ecclesia numerarit matrimonium inter sacramenta.*

18 *Theologi faciunt matrimonium unum è septem sacramentis.*

De horis canonicis.

19 *Sacerdotes nimium prolixis precibus, hisq; præscriptis, aliquoties ineptis, ac ridiculis, ne dixerim impijs oneratos.*

De ceremonijs.

20 *Hodie ratione magis, quàm numero ceremoniarum à Iudæis differimus, eò Christus progressu temporum recidit.*

21 *Christiani pluribus premuntur ceremonijs, quàm Iudæi.*

Not.

CONTRA ERASMV M ROT.

22 *Non probo quod humanis constitutionibus, tota penè Christianorum uita cemonijs oneratur.*

Quæ ad uarios titulos referuntur.

23 *Doctrinam Christianam nostri temporis impositam esse, spinosam, tenebrosam, partim admixtis legum ac disciplinarum humanarum, partim somnijs & inuentiuinculis ambitiosorum hominum.*

24 *Nusquã expresse legitur, quibus uerbis Christus consecrauerit.*

25 *Non insector quorundam institutum, qui uere mendicato uiuunt, sed rectius opinor facturos, si qui ualent, ut ualent permulti, manibus sibi pararent, unde tum sibi, tum alijs egenis possent suppeditare.*

26 *Serui appellationem in Christum non conuenire.*

27 *Christum ut filium obedisse patri, & subditũ fuisse non ut seruum.*

28 *Apostoli suam Gracitatem è uulgi colloquio didicerunt.*

29 *In negocijs huius mundi, pro prædijs, pro nũmis iurare, fortasse non sit ingenue Christiani.*

30 *Vt hæretici nonnihil immutabant in literis sacris, quo suum tuerentur errorem, ita comperitum locis aliquot addita quædam ab orthodoxis ad excludendos aut resellendos hæreticos.*

H 2 rum

CONCLUSIONES STVN.

rum errores.

- 31 Miracula Diui Hieronymi, per Cyrillum Hierosolymitanum episcopum cōscripta, fabulas esse.
- 32 Hęc Christi mens, omnino fuisse uidetur, ut tolerantia superent Christiani non armis.
- 34 Hierosolymis omnia Christiane uitę uestigia, aut prorsus deleta sunt, aut commenticia quaedam incertaq; monstrantur.
- 35 Hodie monachorum somnia, imò muliercularum deliramenta leguntur inter diuinas scripturas.
- 36 Qui quotidie psalmos non intellectos remurmurant, non meditantur in lege domini, sed aërem uerberant.
- 37 Non committitur grex pro quo mortuus est Christus, nisi uehementer amanti Christum.
- 38 Symbolum in concilio Nicæno editum, illud esse quod uulgo dicitur apostolorum.
- 39 Historiam excoꝛiationis B. Bartholomei fide carere.
- 40 Non audio qui mihi dicat, scđam illam pruriginem, & ueneris stimulos, non à natura, sed à peccato profectam.
- 41 Hodie uidemus inter Christianos plus esse superstitionis, in delectu ciborum, quàm unquam fuit apud Iudeos.
- 42 Omnis Christianorum uita delirationibus utitur diq;

CONTRA ERASMV M ROT.

diq; scatet, quas ipsas tamen sacrifici non grauatim admittunt, & alunt, non ignari quantum hinc lucelli soleat accrescere.

Sunt & alie innumera conclusiones istius modi, quę ex sensu Erasmi corum uerborum elici possunt, ex quibus patet apertissime, non recte Erasmus sentire de primatu sedis apostolicę, de sacramētis ac ecclesiasticis dogmatibus, & institutis, sed in omnibus, & per omnia cum Lutero hæretico illi conuenire, ut ex ipso libello blasphemiarum, & impietatum eiusdem per nos edito satis perspicue colligitur.

Romę. M. D. XXIII.

H 3 Erasmus

mus Clariss. viro Ioanni Fabro Canonico Constantien. & illustriss. principis Ferdinandi Consiliario S. D.



Eddidit mihi tuus famulus suspiciones Stunicæ, quas ille conclusiones appellat. Video mihi prorsus euenire, quod usu uenisse ferunt Herculi. Dum hic cōgredior cum hydra,

adrepfit aliunde cancer. Ac primum suspicatus sum hanc fabulam à Lutheranò quopiam agi. Nā habet uir ille multos egregie stultos amicos, qui sic fauent, ut non possint magis ledere. Verum ubi stilus & literæ Roma missæ me docuissent, omnino ludum esse Stunicæ, diu deliberavi, num esset respondendum, præsertim quum iam pridem blasphemijs illius respondissem. Tandem quando uideo libellum nusquam gentium non esse sparsum, ne quis simplicior fumis hominis decipiatur, unius diei operam huic negotio dedi. Opinor R. D. Card. Campegium iam isthic adesse. Vtinam illius pietas hoc insiditum sic cōponat quemadmodum optamus. Bene uale. Basileæ Cal. Martijs, An. M. D. XXIII.

Aduersus præfationem Stunicæ.

Conclusiones uocat tria uerba decerpta ex annotationibus, in quibus nihil de finio, sed ex occasione loci

ne loci cogitandi materiam præbeo lectori, idque in libris ante Lutheri nomen auditum editis. Atque conclusiones pronunciant.

2. Iam id ipsum quàm facit non candide Prudentius omittit ea quæ declarabant quid sentirem.

3. Imò ne locum quidem indicat, ne lector inspecto eo possit deprehendere Stunicæ maliciosam calumniam.

4. Imò quod ego Origenis, Augustini aut alterius cuiuspiam autoris nomine refero, ille mihi tribuit.

5. Nonnumquam & uerba quædam suo cōmodo commutat, quo res sit odiosior.

6. Quum ego dico, uidetur aut apparet, nimis sentiens. hoc uideri ex eo loco quem tracto, aut uideri aliquibus, ille sic assumit, quasi dixerim simpliciter, hoc uideri.

7. Dissimulat, quod hæc collegit è libris quos edideram, priusquam orbis audisset nomen Lutheri, ne quisquam suspicaretur hominem exoriturum. Certe libros Hussiticos aut Vuicleuicos nunquam legi.

8. Et pleraque in posterioribus editionibus ultro correxi, quæ quidam rapiebant in calumniam, cupiens omne uitare scandalum. Nam nouum testamentum cum annotationibus iam tertio editum est, iam dudum parata editione quarta. Hieronymi

Item iam pridem parata est editio. Ex his potissimum sumpsit ille.

9 Quum ante annum edito libello, ad hæc et alia plura dilucide responderim, ille sic agit, quasi nihil responderim.

10 Colligit quædam quæ male interpretando deprauat, quum ex alijs locis posset scire quid sentirem. Sic ego ducentas conclusiones proferam ex epistolis paulinis, suspectiores et scandalosiores quam hæc quæ collegit Stunica, si uelim ad eundem modum interpretari.

11 Nec pontifex nec Cæsar uoluit odiosam inquisitionem fieri in eorum libros, qui scripti essent ante negocium Lutheri natum. Alioqui deberet inquiri et in Thomæ et Bonauenturæ et Petri Lombardi libros, fortasse iustius quam in meos.

12 Nec aduersus bullam Leonis nec aduersus edictum Cæsaris quicquam tentauit, sed ita me gessit in hoc negotio, etiam ante principium edicta ut deiecit orthodoxum, et ecclesie principibus obiectum.

13 Quum Stunica ne unam quidem conclusionem adferat, quæ mihi conueniat cum Luthero, tamen impudenter colligit me in omnibus et per omnia consentire cum Luthero, quæ toties uocat hæreticum. O doctum et fortem theologum. Miror illi nondum mitram esse cum tintinnabulis. Atqui
 [fortius

fortius erat cum Lutheri Lutheranorumque libellis congregari, qui magna licentia debacchantur in nomen Romani pontificis.

Medici iudicant certissimum esse sanæ mentis argumentum sibi constare, quod ubique ferme desidero in scriptis Stunice. Vocat in titulo conclusio hæres suspectas, ac paulo post uelut oblitus sui, uocat easdem principales blasphemias. An quod suspicione tantum laborat, blasphemia dici potest?

Rursus adijcit ut toti orbi clari elucefcant. Vbi clara lux, ibi non est suspicio, sed deprehensa ueritas.

Nec hoc contentus, addit nulla in re ab hæreticis et damnatis Lutheri conclusionibus Erasmi eas differre. Quum Lutherus palam asseueret sua dogmata, me tantum hic appellet suspecta, qui consistit ut nulla in re differam?

Iam fingit has conclusiones omnes mihi conuenire cum Luthero, quarum ne unam quidem conuenire docebo, qua fronte colligit in peroratione, ex his apertissime patere, mihi in omnibus et per omnia cum Luthero conuenire?

Primum an apertissime patet quod suspectum est?

Deinde, an qui in decem consentit, consentit in omnibus? An Stunica probabit hæc collectionem? Hic suspectus est quod emerit Romæ decem pepones, igitur euidentissime liquet, illum omnes totius Italiae pepones coemisse?

UNIVERSITÄT ZÜRICH
 APOLOGIA ERASMI ROT.

Deinde quæ plurimi sint articuli notati in bulla Leonis, in quibus ne syllaba quidem mihi cõuenit cum Luthero, quum quædam sint in libris meis, quæ ex diametro pugnant cum dogmatibus illius, quod ex Lutberi, ac illius amicorum querimonijs notissimum est, ueluti de libero arbitrio, qua fronte pronunciat, mihi in omnibus & per omnia cū Luthero conuenire?

Obsecro te lector, utrum hic se cogitat scribere re hominibus, an potius peponibus?

Paulus apostolus, quæ audire à Festo insanie conuiciū, respondit: Non insanio optime Feste, sed uerba sobrietatis & ueritatis loquor. Hoc responso Stunica non poterit uti, qui tam palam falsa asseuerat, ut minus impudenter dicturus sit, asinū esse uolucrem, qui sibi nusquam constat, qui sic colligit, ut sanius mulgeret hircum. Itaque quum omnes intelligant, illum non sine causa gestare catenam insignijs, tamen Romæ obambulat, nihil ueritus tacita doctorum hominum iudicia, & hac maledicentiæ plusquam scurrilis gloria fruitur, gaudetque monstrari digito & audire, hic est ille Stunica qui scribit in Erasmus.

Etiam atque etiam iactat se libellū blasphemiarum suarum publicasse in alma urbe Roma. Equidem non patiar apud ignaros rei gesta, Romam hoc aspergi

CONTRA CONCL. STVN.

aspergi dedecore, nec cõmittam, ut quisquam suspicetur, tam ineptas nenas Romæ uendi autoritate aut permissu principum.

Stunica primū apud Hispanos ædiderat uirulentas annotationes in nouū testamentum, idque dehortantibus bonis ac doctis omnibus, quum à me nunquam esset læsus, ac fortè meis libris adiutus. Hinc auspicatus est ingenij famam. Quæ liber is tam displiceret omnibus, quàm ipsi placebat autori, nec distrahi posset apud Hispanos, deportauit eum Romam. Ilico uetitus est à Leone, ne quid æderet, quod læderet famam Erasmi. Quod si quid esset corrigendum in libris meis, id moneret ea temperatura, quæ doctos uiros deceret. Multa molitus est frustra. Interim parauerat libellum blasphemiarum, Mortuo Leone cepit hunc euulgare. Nam Romæ uulgus nihil sibi non permittit in interregno, adeo ut plerique, quibus est res domi, cogantur cõducere manū armatam, quæ depellat prædones. Tum enim imaginantur deū esse mortuū. Hoc tempus uisum est Stunicæ idoneū ædendo libello. Cardinales ubi sensere rē, edicto uetuerūt, ne quid tale æderetur. Conquieuit Stunica metu sustis. Attamen per monachos quosdam exijt liber. Rursus edicto Card. uetitus est uendi. Eodē tempore prodijt Caranza. Quæ hic nõ faceret sinem, parum absuit, quin coniectus fuerit

fuerit in carcerē: & fuisset, ni quosdam habuisset in senatu fauentes. Nusquam enim non inueniunt similes labyra lactucas. Quid autē Card. præcipui de Stunica libellis senserint, possum adhuc ipsorū ad me literis docere, quibusq; titulis autorem honestarint. Vbi Romam uenisset Adrianus sextus, sedulo cœpit agere de uulgādis libris suis. Ille plane uetuit, ne quid tale auderet. Quo mortuo, ad ingeniū redijt: & quoniam non erat spatium excudendi quæ scripsit hisce diebus, quibus Card. ob electionem noui Pontificis tenentur inclusi, iste emit tit conclusiones: ac dum metuit ne nō distraheret, subornati sunt pueri, qui Romæ solēt oua, fungos, prognostica, cantiunculas, similesq; nugas circūferre uenales, qui Stunica conclusiones etiam nolentibus obtruderent, priusq̄ res innotesceret Cardinalibus. Ex complurium eruditorū ad me literis, hæc tam certo noui, quàm si Romæ adessent.

Et hic qui sic toties audet illudere edictis sacrosancti senatus Card. & Pontificum, hoc simulat se facere autoritate publica urbis Romæ. Scribuntur hæc Romæ, sed à Stunica, sed eo tempore, quo pessimo cuiq; Romæ quod libet, licet. Scribuntur hæc in alma urbe, sed in eadē urbe Pasquillus quotānis suos edit uersiculos, saxeus quidē ille, sed aliquantō minus stupidus quàm Stunica. In alma urbe fecerant

nerant Iudæi, saltant Mimi, diuinant Arioli, cōcionantur Theriacopole, & quid non sit in alma urbe? Et in hac scribit Stunica, sed non tantum scribit. Et haud scio an ob hoc dicatur alma, quod aliat omne genus animantium, & in his Stunicam.

Atq; hanc λεοντων sibi sumit homo uerecundus, ut autoritate priuata pronunciet de scriptis alienis, subinde crepans hærcses, blasphemias & impietates atq; insanias. Quæ facultas Theologorum unquam damnauit quicquam in libris meis? Quis episcopus, quis pontifex? At Stunica, qui ne Theologus quidem est, strenue pronunciat, censuram sibi sumēs absq; populi patrumq; suffragijs.

Si blasphemiarum libellus placuit Card. quur semel atq; iterum uetuerunt distrahi? Si displicuit, quur iterat? quur iactat?

Vide autem quantæ dexteritatis sit homo. Nec effusissime laudans, nec sedulo propugnans inuit gratiam. Laudauit Pontificem, urbem, sed præcipue monachos, puduit sic laudari. Hasta & clypeo cœpit depugnare pro dignitate Pontificis, iussus est quiescere.

Non perpendit Stunica quid agat, si conatur me pertrahere in partes Lutheri, quod tamē nunquam efficiet, quid inutilius? Præstaret enim abducere quàm impellere. Si studet gratificari Lutheri

UNIVERSITÄT
ERASMUS
BRUGES

APOLOGIA ERASMI ROT.

ranis ulciscendo me, cui illi male uolūt, haud facit
ex animo eorum, qui Luthero male uolunt.

Conatur orbi persuadere, quod mihi conueniat
cum Luthero. Optarint hoc Lutherani: & tamen
nec his persuadet.

Qui fauent Pontificis causæ, conantur quos
possunt à Lutheri consortio reuellere. Stunica sty-
det homines in illius castra protrudere. Pontifi-
ces curant, ut ex hæreticis fiant orthodoxi. Hic ex
orthodoxis conatur hæreticos reddere.

Hæc præfatus, accingor ad conclusiones, quas
auspicatur à primatu Pontificis, credens futurum,
ut apud illum mihi moueat inuidiam, quo factò de
cæteris facile periclitet. Ideo prius illi cura est de
primatu Pontificis, quàm de sacramētis ecclesiæ.
Dicas hic esse ingenium homini.

De primatu Pontificis.

1 Ne quis &c. His uerbis nequaquã adimo pri-
matum Romano Pontifici, sed ostendo, ex catalogo
nominum non posse sumi efficax argumentum.
Quantquam in duodecim Petrus ubiq; primo loco
recensetur, unde probabiliter colligitur illius præ-
minentia, nec in iugis consentit ordo in codici-
bus, & in suo iugo Matthæus apud ceteros Euangeli-
stas prior, in ipsius Euangelio posterior est.
Et in quodã loco Petrus posteriore loco refertur,
quæadmo

CONTRA CONCL. STVN.

quemadmodum & Barnabas alicubi præponitur
Paulo, & Priscilla Aquilæ marito. Nec id tamen
fit perpetuo, ut hinc non recte sumatur argumen-
tum uelut urgēs. Itaq; sententiam nõ damnauit, sed
ratiocinationē. Locus est apud Matthæũ cap. x.

2 Illa uerba &c. Hic ut annotator Origenis sen-
tentiam recenseo, quæ uidetur aduersari his, qui
principatũ tribuunt Romano pontifici, sed eodē in
loco recenseo Cypriani sententiam, quæ facit pro
diuersa parte: nihil interim refellens aut definiēs,
sed tantum lectori cogitãdi materiam suppeditã.

3 Romanus Põtifex &c. Hoc unde hauserit nõ
satis commemini, quã ue occasione hoc scripserim,
Atqui id magni refert, nisi quod suspicor decriptũ
ex epistola quãdam, qua respondeo calumniatori
cuidam anonymo, qui Damasum summum Pontifi-
ficem appella*, quo uideretur non licuisse Hiero-
nymo nouare quicquã in nouo testamēto, nisi ius-
su summi pontificis. Hoc argumentum illi eripio,
quum i. cognomen non esset auditum illo seculo,
nec arbitror eam autoritatem in omnibus rebus fuisse
tum agnitam. Tametsi in negotio fidei pluri-
mum tribueretur, etiam olim sedi Romanæ ob ur-
bis celebritatem, & Petri Apostolorum principis
excellentiã, denique quod ex ea sede nunq̃ esset
orta Hæresis, quũ in alijs frequenter uacillasset fi-
des

des. Verum est quod dico. Nō uocabatur summus pontifex, sed Episcopus urbis Romæ. An ideo nego summum, quia tunc non dicebatur summus? Olim Christus non prædicabatur deus, an ideo non erat deus? Summus autem duplici sensu dici potest, quo non sit alius excellentior, aut cui subiecti sint oēs. Ut si quis dicat Galliæ Regem esse summum, non ideo dicit eum esse Regem omnium regnorum. Et tamē summus dici possit, quod nō sit alius rex hoc excellentior: Christus autem ita summus est pastor, ut omnes ecclesiæ sint illi subiectæ. Sub quo si Romano pontifici tanquā illius Vicario tribuimus similem præminentiam, tamen ea nec semper fuit agnita per omnes ecclesias, nec semper exercitata. Nec uideo quid hic suspicatur Stunica.

4 Aetate &c. Hunc locū desumpsit ex censurâ quadam, qua doceo epistolam quandam falso tributam Hieronymo. Nec illic disputo quid potuerit Damasus, sed quid eo seculo soleant facere pontifices. Et ideo scripsi, non solere, non scripsi rō posse. Paulus fatetur sibi fuisse potestatem, qua tamē uti nolebat. Et Petrus non est usus in multis ea potestate, qua post usi sunt illius successores. At nō cōsequitur, non est usus potestate, ideo non habuit potestatem. Illius ergo temporis consuetudinem adferebam in argumentum, quo docerem episto-

lam

lam esse cōfictam à recentiore quopiam, in qua ob panes non recte distributos, Damasus iubetur ferre generalem excommunicationis sententiam in omnes qui hoc facerent.

5 Nū hæc monarchia, &c. Ex uno loco duas facit hereses. Quum dico hæc monarchia, complector omnes circumstantias potestatis, quam exercebant Romani Pontifices quū illa scriberem. Tunc nō licebat archiepiscopo Scotiæ gestare pallium, nisi redemptum à pontifice Romano. Vnum exemplū pono, quum possim huius generis referre sexcenta. Quod si quis tam impudēs est, ut dicat pontificem Romanū etate Hieronymi, per totam Europam, Africam et Asiam, per quas regiones tunc erat sparsa religio Christiana, exercuisse eam potestatem, quam alius exercuit per Galliam & Italiā, fatebor me hoc non heretice scripsisse, sed temere & incircūspecte. Neq; enim hic ago de potestate tradita, sed exerta. Quis enim negat pontificibus magnam esse potestatem traditam ad ædificationem ecclesiæ, non ad destructionem? sed hanc non semper exerunt qui habent. Et usurpant non nunquā quam non habent. Qui taxat usurpatam, aut qui negat exertam, non statim negat traditam. Quod autem hic sentio de monarchia non tradita sed exerta, docent ea quæ præcedunt, non solere. Nec ad argumētationem meam ibi referebat,

I quid

quid potuerit Damasus, sed quid solitus sit face-
re. Dicit, sit illic mentio de excommunicando. Ve-
rum. Sentiebam enim tū nō solere pronūciari an-
themā generale, nisi in causa fidei, idq; ex synodi
sententia. Hic fictus Hieronymus ex autoritate
Chrysostomi iubet, ut Damasus ob panes parum
commode distributos ferat excommunicationem
in omnes qui id facerent. Tam non disputo, an lice-
at pōtifici quauis de causa excommunicare, sed ar-
bitror, apud priscos hoc non solere fieri. Et hanc
annotationem Stunica uocat hereticam & insa-
nam. Dicas illic esse zelum dignitatis pontificie.

6 Quod Petro dicitur. Iā ad hoc responsum est
in secundo articulo. Nec uideo quid hic suspicetur
Stunica, nisi fortē me sentire, qd̄ aiūt docere Luthe-
rū, oēs Christianos esse sacerdotes, omnes posse cō-
secrare & absoluere. At istud mihi ne per somniū
quidē unquam uenerat in mentē, quū illa scriberē.

7 An Damasus &c. Hunc locū decerpit ex ob-
scura quadam epistola, unde decerpserat tertiā sus-
picionem. Quidam contra me agens, citabat Da-
masum summum orbis pontificem, ego relinquens
in medio an fuerit, dico nomen hoc non fuisse au-
ditum illis temporibus. Qui in medio relinquit, ne-
que probat, neq; improbat, id non semper est dubi-
tantis, sed aliō properantis. Sed fingat me dubitas-
se, si quid dubitatum est, dubitatum est de potesta-
te agnita

te agnita uel exerta, non de traacta. Quod si quid
piam dubitasset de potestatis tradite modo, nihil
esset noui, quū hactenus hoc thema fuerit solenne
in scholis, nec adhuc satis conueniat inter Theo-
logos. At nunc, inquit, pronūciavit bulla Leonis,
rem docuit Card. Caietanus. Verū illa mihi scri-
pta sunt ante annos septem. Et si nunc eadem scri-
berem, quum senserim de modo potestatis exerte,
quid esset periculi?

8 Augustinus &c. Extat epistola quedā Augusti-
ni qua monet Innocētū, ut caueat à Pelagio, in ea
non uidetur agnoscere prāminentia, quam nūc tri-
buunt Romano pōtifici. Scribit enim tāquā col-
lega. Et Innocentius agit illi gratias, quod de fidei
negocio scribat ad illius sedis episcopū. At non se-
quitur, nō agnouit in illa epistola, igitur non agno-
uit simpliciter. Rursus nō sequitur, Augustinus nō
agnouit, ideo non habuit Innocentius. Nec statim
schismaticus erat, qui non agnosceret, quum ponti-
fex non rigeret agnitionē. Græcia diu non agno-
uit Romanū pontificem, & tamen erat orthodo-
xa. Et erant fortassis in India, qui nescirent Petriā
esse natū, qui tamen non erant schismatici. Cypria-
nus item appellat Cornelium fratrem & collegā,
quod si quis nūc faciat, uideretur parum agnosce-
re Romani pontificis dignitatem. At idem Cypria-
nus alibi multum tribuit Petro, cuius successor est

Romanus p̄uisc̄. Et tamen hæc omnia quæ refert ex libris editis ante notū Lutherum, pertinent ad potestatem agnitam aut exertam.

Hactenus ad Stunicæ suspiciones, quas si q̄s ut ille nudas & odiose proponit, conferat cum illius collectione, quæ est in peroratione, Erasmi non recte sentire de primatu sedis apostolicæ, intelliget q̄ sit insyncerus ratiocinator. Promiserat in titulo duo, me non recte sentire de primatu Petri & sedis apostolicæ, & in peroratione facit summam de sede apostolica. Quales libellos confecisset hic Stunica, si fuisset à rationibus alicui monarchæ putata Thurcæ, aut Sultano?

Nunc non respondeo Stunica, sed seruior horum temporum maliciæ, et quorūdam infirmitati. Iactat in prefatione suam diligētiam, sic igitur accipiamus hominem undiquaque doctum, uigilantem, oculatum, indefatigabilem, denique Stunicam, hæc ex tot meis lucubrationibus tranquillo seculo scriptis & euulgatis, uoluisse docere, me non recte sentire de primatu pontificis: quur fuit tā oscitans in alijs locis, in quibus magnifice sentio de primatu pontificis. Notauit locū in censura quam obiter scripsi, cuius est facta mēto in articulis 4. et 5. Quur non notauit locū qui est in epistolam quandam ad Damasum, ubi hoc annoto in scholijs. Hic Hieronymus uidetur omnes ecclesias subijcere Romano pontifici.

tifici. Vidit hunc locū Eccius, sed non hunc solum. At Stunica non uidet, nisi quod calūniatur. Et interim hūc uocat morē scholasticū. Imò mos est araneorum, ad omnia adrepentiū: & quicquid exuerint, uertentiū in uenenū. Quur non refert tot loca, in quibus appello Romanū pontificem uere summū, modis omnibus maximū, Christi summi pastoris uicariū, in quibus illi tribuo potestatem secundū deum maximam? Nullo nomine peius audio apud impense Luteranos, nisi quod impetior sum in laudes Romani pontificis. Hoc crimē malo, q̄ seditiosi.

Dicit, quur hæc annotaras? Respondeo, quur tu hæc annotas potius, quàm quæ scripsit Occam, ne cōmemorem Gersonem & alios. Non uersabar in questione de primatu pontificis, sed uersans in antiquis scriptoribus, obiter conferebam huius seculi statū, cum etate qua illi scripserant, quæ quidē magna fructus pars est in historijs. Eodē studio quū ego lego Acta apostolorū, confero cū seculis posterioribus, quid accreuerit, quid decreuerit. Et obiter si quid incidit, annoto tribus uerbis, nihil asserans. Quis autē suspicari poterat exoriturā factionem Luteranam, infensam dignitati Pontificiæ, sed hac nocentiorē Stunicam: Qui potui diuinare huius seculi tumultum, quem arbitror nec ipsum Luterum unquam uel sperasse, uel timuisse?

Iam si quis dicat mihi, ualeat Stunica, quid sen-

CONTRA CONC. STVN.

tis de potestate Romani Pontificis? Ego de potestate
 summi Pontificis, qui sine controuersia est domi-
 nus omnium Iesus Christus, constantissime ac magnè
 fidentissime sentio, potestatem ex ipso didici. Sic
 enim loquitur in Evangelio: Data est mihi omnis
 potestas in caelo & in terra. Gloriam didici ex
 Paulo, nullo nõ loco celebrante maiestatem illius,
 sed præcipue ad Philip. cap. 2. Propter quod & de-
 us exaltauit illū, & donauit illi nomen, quod est su-
 pra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu fle-
 ctatur, coelestium, terrestrium, & infernorum, &
 omnis lingua confiteatur, quod dominus Iesus in
 gloria est dei patris. Huius potestati utinam se subij-
 ciat totus mundus: huius gloria utinam obscuret
 omnē humanam gloriā: ut si quis uellet gloriari,
 tantū in domino gloriaretur. Et tamen hic magnā
 potestatem tradidit ministris sermonis Euangelici.
 Ipse gesserat uiuens maxima: Et maiora, inquit,
 his facient. Magnum erat, umbra corporis sanare
 ægrotos, Maius erat, impositis manibus are spiri-
 tum sanctum. Cessarunt miracula pro tempore da-
 ta, quemadmodum & legis ceremonie. Nec tamē
 antiquata est uis spiritus sancti, quam Christus in-
 fundit per sacramentorum suorum ministros. Horum
 igitur autoritatem nõ contemno, multo minus Ro-
 manorum Pontificum. Qui si suo funguntur offi-
 cio, ueneror dominū Iesum, per illos nostra salutē
 consulentē. Sin minus, illi mei sunt iudices, non ego

APOLOGIA ERASMI ROT.

illorum. Habent dominū ac iudicem suū, cui stant
 aut cadunt. Ordinem laudo, tranquillitatem amo,
 seditionem detestor. Hæc conscientia sufficit homi-
 ni parum docto ac pusillo. Utinam autem omnes
 pontifices Romani tam sincere potestatem suam
 exerceant in Christi gloriam, ac salutē Christiani
 gregis, quàm ego illorum dignitati nõ inuideo. Di-
 cet aliquis: Quid si palam sint antichristi? Faciam
 quod monet Card. Caietanus, orabo deum, ut opitu-
 letur ouiculis suis. Certe mihi non sumam mittere
 manū in Christum domini. Nec tamen unquā pro-
 dam sciens Christi gloriam, nec hactenus prodidi.
 Nihil humilius & abiectius Erasmo: fateor, & ta-
 men non ausim dicere, quàm potuerim ledere di-
 gnitatem illius. Si tam male sentirem de eo, quàm
 fingit Stunica. Eat nunc Stunica homo uigilans,
 perlegat omnia quæ Luterus scribit de Romano
 pontifice, nam ego referre non ausim: perlegat om-
 nia quæ ego illi tribuo in tot operibus meis, &
 iterum atque iterum perfricta facie clamet, mihi in
 omnibus & per omnia conuenire cum Lutero. Et
 tamē aliqd magni ueneni suspiciatur Stunica. Quid
 facias homini tam zelotypo? Si uigeret adhuc lex
 Mosaica, operæ prædū esset his remedijs illius mede-
 ri suspiciōi, quibus olim maritorū zelotypie medebā-
 tur uxores. Alioqui periculū erit, ne quoties in scri-
 ptis meis honorifice nomino Iesum Christum, su-
 spicietur

Spicetur me sentire de Mose. Has suspiciones quæ iam pridem editis blasphemijs suis prodiderit orbi, mirum est nondum coisse synodum, hominis suspiciõibus medicaturam.

De sacramento confessionis.

9 Fuisse d. Quum addo, ut opinor, ut uidetur, nihil asseuero. Deinde quum addo, quæ nunc fit, si gnifico hanc confessionem cum suis circumstantijs. Certum est autem quædam circa confessionem instituta ab hominibus, uelut de tpe confitendi, de casibus. Et tamen disputans cum Leo tum alijs, aliquot locis ostendo me probare hanc confessionem uelut à Christo institutam, meq; meum sensum submittere iudicio ecclesiæ. At non licet dubitare. Verum de articulis fidei. De hoc opinor sic licuit dubitare ante bullam Leonis. Neq; enim dubito an oblige mur ad confitendum, sed an hæc confessio sit præcepta ab ipso Christo, ac perpetuo obseruata ab apostolis.

10 Quæ nunc recepta est &c. Ex eodẽ loco sumptum est, & eadẽ opera huic quoq; resposum est.

11 Olim &c. Quis hoc negat esse uerum? Et tamen non ideo improbatur secreta confessio.

12 Apparet &c. Institutam appello, ut nunc est instituta cum obligatione & censuris. Et hanc confessionem dico, in qua numerantur peccata, & circumstantiæ explicantur. Quod si erat, quomodo pote

rat

rat unus episcopus cum paucis presbyteris tam numeroso populo satisfacere? Nec hoc tamen asseuero, sed dico apparere. Atqui Gratianus collectis diuersorum sententijs, facit liberum utrum malimus sequi. Si erat instituta, ut nunc est, ille scriptor non erat sobrius. Et tamen hunc locum apud Gratianum nullus incessiuit tot seculis. Quid hic potest suspicari Stunica? Me olim subdubitaſſe, an secreta confessio, qualis nunc exigitur quotannis ab omnibus Christianis, fuerit instituta à Christo? id iuxta sensum meum, ne nunc quidem satis persuasum est, & tamen captiuo intellectum meum in obsequium fidei, paratus credere, quicquid credit ecclesia catholica. Eat nunc Stunica, & uideat quid Lutherus doceat de confessione, ac postea clamet in omnibus, & per omnia mihi cum illo conuenire.

De extrema unctione.

13 Hodie &c. Quid hic suspicetur Stunica non queo coniectare. Certe à me nihil dictum est aduersus factum amentum, ac ne cogitatum quidem. Ostendi ueterem usum ac nouum, quasi indicassem priscum baptizandi ritum, & nouum cum illo contulissim.

De matrimonio.

14 Matrimonij &c. Quid hoc ad nostram fidem? Etiam in cibis & ieiunijs commodius habebant Iudei quam nos. Quid hoc ad fidem catholicam? Li

15 cebat

CONTRA CONCL. STVN.

tebat illis odisse inimicos, nobis non licet. Licebat ducere plures uxores, nobis non licet. Licebat dumquam repudiare, quamuis leui de causa, nobis non licet ante mortem. Non coibat apud illos matrimonium, nisi intercedente autoritate parentum aut maiorum: apud nos saepe coit inter pueros ac puellas, stultos & ebrios, per lenas & impostores, uerbis de futuro, sed organis presentibus. Et tamen hoc matrimonium est indissolubile. Hoc si probat Stunica, iure damnat meam querimoniam. At dicit, Pontifex probat tale matrimonium. Hunc igitur taxas. Opinor nec Pontifici placere talia matrimonia. Et utinam declararet, sic contracta non esse matrimonia; quemadmodum declarauit inter scemiam & frigidum.

15 Haud scio. Dissimulat Stunica, quod toties in scriptis meis repeto, me quoties sac. nentum absolute nomino, sentire de sacramento iuxta peculiarem, & exactam eius nominis rationem. Secundum hanc constat plerisque uetribus matrimonium non fuisse sacramentum. Quando Petrus Lombardus scribit in hoc non infundi gratiam sacramentalem, & ex consequenti negat esse sacramentum. Duradus fatetur a uetribus dubitatum, sed recentiores Theologos cepisse numerare inter sacramenta proprie accepta. Ego tamen ubique profiteor me matrimonium ponere inter sacramenta iuxta propriam eius

APOLOGIA ERASMI ROT.

eius nominis rationem, idque ante Lutherum notum. Et hac de re copiose respondi, primum Leo, post Carauae. An hic quoque mihi conuenit in omnibus, & per omnia cum Luthero?

16 Nullus est. Proferat igitur Stunica duntaxat iuxta dictam rationem, hoc est, ut per signa sacramentalia ex pacto infundatur gratia sacramentalis.

17 Haud scio.

18 Theologi. Eandem cantilenam repetit. Nec omnes tamen Theologi, sed recentiores, ut ait Lurandus. Et si non dubitabatur, quid opus erat hoc definire in concilio Florentino, cuius sententiae ego assentiebar, etiam antequam scirem esse decretum? Et si nunc res esset in ancipiti, tamen propensior essem in fauorem matrimonij. Atque utinam hoc iam persuasum esset orbi, ut omnes caste colerent matrimonium.

De horis canonicis.

19 Sacerdotes. Hoc quum sit dilucidius, quam ut dissimulari possit, demiror, quid sibi uelit Stunica. Non hoc imputo ecclesiae aut Pontifici, sed audacibus quibusdam ac superstitionis, qui sine auctoritate addunt, quae uolunt. Nec statim ista probat Pontifex ad quae conuiuet.

De ceremonijs.

20 Hodie &c. Toties in libris meis testor me probare ceremonias a patribus institutas. Ceterum immodicas

CONTRA CONCL. STVN.

modicas & ineptas à superstitionis inductas, quis non damnaret? Nec damno atētes ceremonijs, sed his fidentes neglectis ijs, quæ uere pium faciunt. Et alicubi queror accreuisse ceremonias, decreuisse pietatē. Olim quā uelut erat ceremoniarum in cōsecrando episcopo, precabatur multitudo, presbyteri imponant manus. Nunc reputa quā nullus sit modus ceremoniarum, priusquā fiat episcopus. Ac deinde confer horum & illorum uirtutes. Hoc exempli gratia dictum esto.

21 Christiani. Hoc ipsum Augustinus questus est ætate sua. Quid dicturus, si nunc uiueret?

22 Non probō. Imò uehementer improbo. Dabo exemplum. Dies festi ceremoniæ sunt. Hos quoti die leui de causa augent episcopi. Imò Gardiani & Priores quotidie instituunt nouas ceremonias. Hic nihil in ecclesiam aut Pontificem dictum est. Hanc ceremoniarum inundationem damno.

Confusi tituli.

23 Doctrinam Christianam &c. Utinam hoc falsum esset. Christianam autem uoco non Euan-gelicam aut apostolicam, sed eam qua nunc utuntur Christiani. Quod si uerum non est, unde tanta inter doctores dissensio?

24. Nusquā expressa. Doceat Stunica & me uocet non hereticum sed obliuiosum. scio apud Thomam hoc inueniri, sed ego de sacris literis loquor.

Non

APOLOGIA ERASMI ROT.

25 Non infector &c. Utinam omnes facerēt quod fecit Diuus Paulus. Quid hic est impietatis, si ostēdo quid sit perfectius?

27 Christum ut si. &c. De his quum copiosissime responderim & Stunica & Caranzæ, miror quid hanc cantionem denuo nobis occinat.

28 Apostoli suam Græc. Etiam Hebraice sic didicerunt. Nec ideo negatur donum linguarū, quod fortasse suspiciatur Stunica, quod probabiliter creditur in eo fuisse sitū, ut quis unica lingua loquens quam sciret, ab omnibus diuersæ linguæ intelligeretur. Et ad hoc respondimus Leo.

29 In negotijs &c. Quum hoc in loco hereant autores, quorum uarias opiniones recenseo, addo & meam opinionem. Nec definitio, sed addo fortasse: nec hoc contentus, addo ingenue Christiani, concedens iusurandum infirmis.

30 Ut heretici. Stunica fortasse somniat me uocare orthodoxos, sanctos ac probatos ecclesiæ patres, etiam fures, lenones & adulteri sunt orthodoxi. Ista quæ queror fiunt nonnunquā à scribis eruditulis. Et hoc esse factum aliquot locis doceo.

31 Miracula &c. Non taxo Cyrillū, uerum nego illa scripta fuisse per Cyrillum, sed per impudētē rabulam. Quid hoc ad fidem catholicam? Non incesso sanctum uirum, sed illius reuerentiā tueor.

32 Hæc Christi &c. Non solum Christi, sed & apostolorū.

apostolorum. Nec ideo damno necessaria bella.
 34 Hierosolymis. Et Hieronymus qui uiuebat in
 Palestina, quoties refert aliqd de uestigijs locorū,
 ambigue refert quasi diffidens. Quanto minus nū
 rum, si res nunc se sic habet?

35 Hodie. Hoc dico in missis & precibus hora
 rijs, in quibus non oportebat audiri nisi scripturā
 sacram, aut scripta uehementer probatorū homi
 num, nunc admixtas esse sequentias quasdam &
 hymnos, rithmos, uersiculos pueriles & ineptos.
 Quid colligit Stunica, me damnare quod legitur
 in ecclesia? Quasi rectum sit, quicquid sit in tem
 plis omnibus, imò moneo episcopos, ne permittant
 hoc fieri in ecclesijs. Nunc quilibet addit quod li
 bet, etiam sine autoritate episcoporum.

36 Qui quotidie. Si meditari est moribus exerce
 ri, quod docet lex diuina, quemadmodum illic do
 ceo, an mediātur in lege domini, qui psalmos nō
 intellectos remurmurant? An non & Paulus do
 cuit esse prorsus inutile psallere spiritu, nisi psal
 las & mente?

37 Non committitur &c. Non dico nō posse cō
 mitti, sed indico Petro non committi, nos enim se
 pe fugit, an diligat deum cui committitur grex.
 Certe committi non deberet nisi amanti Christū.
 An non quod hic admono, docet præter alios Di
 uis Ambrosius? Nec ideo adimo malis episcopis
 suam

suam iurisdictionem. Nam hoc opinor, suspicatur
 Stunica,


38 Symbolum. Hæc rixa olim exercuit Valenn.
 Doceat Stunica rem tantam.

39 Historiam &c. Ad adeo uerum, ut adhuc nulu
 lam repererim ecclesiā, quæ legat eam historiā.
 Et si qua legeret, quid tum postea? Ntinam hæc
 solam fabulam legeret ecclesia.

40 Non audio. Citat fragmentum argumenta
 tionis ex declamatione, quæ quoniā adhibetur ad
 exercitationē eloquētiæ, licuit uti uel falsissimis ar
 gumentis. Quid calumniatur Stunica nescio. Fac
 dam uoco, non quod semper sit cum peccato con
 iuncta, sed quod pudenda ac pecuina. Et ante pec
 catum prurigo fuisse, & non foeda tamen.

41 Hodie &c. Idem olim questus est Aurelius
 Augustinus. Quo iustior querela est hisce tempo
 ribus. Hæc à superstitionis inuehuntur, quædā ap
 probantur ab episcopis, quædā tolerantur. Ea quo
 niam inndant supra modū, moneo ut corrigātur.

42 Omnis &c. Hoc optarim esse falsissimū, sed
 heu negari non potest. Quod si hoc deplorare hæ
 reticum est, eadem ratione hæreticum erit, si dicā
 totam Christianorum uitam scaterere furtis, fraudu
 lentijs, obtricationibus, adulterijs, temuletijs. Et tū
 men huic calumniæ respondi libello edito.



163
**PRECATIO DOMINICA IN SEPTem portiones distributa per D. ERA
SMVM Rotrodanum.**



**OPVS RECENS AC MODO
natum, & mox excusum.**

Cum priuilegio Cesareo.

